

GEORG FRIEDRICH SCHIMMELPFENNIG

De natura,et effectu juramenti in genere

Regiomonti
1769

EOD – Millions of books just a mouse click away! In more than 10 European countries!



Thank you for choosing EOD!

European libraries are hosting millions of books from the 15th to the 20th century. All these books have now become available as eBooks – just a mouse click away. Search the online catalogue of a library from the eBooks on Demand (EOD) network and order the book as an eBook from all over the world – 24 hours a day, 7 days a week. The book will be digitised and made accessible to you as an eBook.

Enjoy your EOD eBook!

- Get the look and feel of the original book!
- Use your standard software to read the eBook on-screen, zoom in to the image or just simply navigate through the book
- *Search & Find:* Use the full-text search of individual terms
- *Copy & Paste Text and Images:* Copy images and parts of the text to other applications (e.g. word processor)

Terms and Conditions

With the usage of the EOD service, you accept the Terms and Conditions provided by the library owning the book. EOD provides access to digitized documents strictly for personal, non-commercial purposes. For any other purpose, please contact the library.

- Terms and Conditions in English: <http://books2ebooks.eu/odm/html/utl/en/agb.html>
- Terms and Conditions in Estonian: <http://books2ebooks.eu/odm/html/utl/et/agb.html>

More eBooks

Already a dozen libraries in more than 10 European countries offer this service.

More information is available at <http://books2ebooks.eu>

42853.

DE

NATURA ET EFFECTU
JURAMENTI

IN GENERE

ET IN SPECIE

SI ACCEPTATUM QUIDEM SIT, SED PRAE-
STARI NEQUEAT, OB MORTEM TAM NATURA-
LEM, QUAM VOLUNTARIAM INTERVE-
NIENTEM;

MEDITATIONES

QUAS

MAGNIFICO JCTORUM ORDINE

CONSENTIENTE

PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI

SUBMITTUNT

P R A E S E S

WILHELMUS BERNHARDUS
LESTER, J. V. D.

S. R. M. in Borussia in Judicio Criminali Consiliarius; supremarum Regni
Borussiae Curiarum Advocatus.

ET RESPONDENS

GEORG. FRIEDERICUS SCHIMMELPFENNIG,

Ortelsb. Pruss.

H. L. Q. S. d. 29. MAJI, 1769.

OPPONENTIVM SPARTAM ORNATVRI SUNT

ALEXANDER ANDREAS ESPANHIAC, Reg. Bor.

JONATHAN. FRIEDERICUS HELLER, Weissenf. Thuring.

REGIOMONTI, Litteris VIDVAE IOANNIS FRIDERICI DRIESTIL

BIBLIOTH.
ACADEM.
DORPAT.

V I R O
ILLUSTRISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO,

DOMINO
JOSEPHO CAROLO
MAXIMILIANO

LIBERO BARONI
DE FÜRST ET KUPFERBERG,
AUGUSTISSIMI BORUSSORUM REGIS ADMI-
NISTRO STATUS INTIMO
SUPREMI PROVOCATIONUM TRIBUNALIS PRÆSIDI,
RERUM FEUDALIVM DIRECTORI
REGIARVM ACADĒMIARVM CURATORI,
MAECENATI INDULGENTISSIMO.

VIR ILLUSTRISIME!

Virtutum & Profapiæ splendorem, quo
TE HEROEM TOGATUM ad immortalitatem usque inclutum omnes admirantur, venerantur, auget summa quæ **TUA** est in litteras propensio et singularis humanitas,

nititas, qua cum Musis commercium habentes profequi haud dedignaris. Maxima & fane invidenda est illorum felicitas, quibus contingit, ut per egregios amplificandarum scientiarum conatus TUAM demereri possunt gratiam, qui ob singularia circa rem litterariam merita TUO digni sunt patrocínio, TUOQUE favore. Indulgentia TUA tamen, VIR ILLUSTRIS-
SIME & illos tolerat, & dum grotiosum gratis concedit patrocínium, ad maiores excitat

pro-

progressus, qui deficiente Hecatombe mi-
nores litant victimas; qui si docendo dies
consumant, lucubrationes elaborandis ex-
asciatæ doctrinæ speciminibus impares mi-
noribus destinant Schedis, ut iuventus aca-
demica artis disputatoriæ habeat exerci-
tium, & occasionem in publicum prode-
undi nanciscatur. Hinc veniam dabis,
ut spero, benignissimam, si TIBI CU-
RATORI ACADEMIARUM IN-
DULGENTISSIMO has paginas ad in-
star

star rationum vitæ academicæ reddenda-
rum devotissima mens sacras esse iubeat.
Quod superest, Deus TIBI det annos;

a te nam cætera fumes

sint modo virtuti tempora longa Tuæ.

HÆC precor & voveo

ILLUSTRISSIMI
N O M I N I S T U I

Babam Regiomonti,

d. 29. Maii,

M. D. CC. LXIX.

cultor devotissimus

WILH. BERNH. JESTER.



§. I.

In determinanda iurisiurandi moralitate, sicuti in eruendo quod quibusvis aliis rebus statuendum sit pretio, facile mortales a vero aberrant, similes illis, qui lapide lydio destituti, quantum in venis sit auri, quantum argenti & æris, ignorant, salutem difficulter exquirunt. Sunt faciles nonnulli hominum ad iurandum contemptu religionis, alii e contra sunt perquam timidi, metu divini Numinis usque ad superstitionem. (a) Multa hinc opus præcautione, ut neque de excessu vituperium, neque de defectu opprobrium contrahamus. Juxta illud Horatii enim

Est modus in rebus, sunt cerri denique fines,

Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

Si ergo dicendum, quod res est, non negamus, iurairuranda, illorumque frequentiore usum perfidiæ humanæ continere luculentissima argumenta. Quid enim remedio opus esset, quo fallaciis & machinationibus ad decipiendum fallendumque idoneis obicem ponere allaboramus, si nulla unquam adhibita fuisset fraus, si unicuique esset *Incoctum generoso pectus honesto?*

Nec inficias ire possumus, fiduciam iurisiurandi aliquando vacillare, vincula fidei humanæ haud raro rumpi, & securitati nostræ



per fidem iuratam! hominis perfidi parum prospici, id quod paroemia veterum indigitat; Kommt es dem Wolf zur Heyde, und dem Diebe zum Eyde: so haben sie gewonnen Spiel. (b) Nihilominus tamen est & manet iurisiurandi religio, firmior scilicet illa copula ad eliciendam quæ iure debetur veritatem & adstringendam, quousque obtineri potest, fidem, res neccessaria ad instar medicinæ, quæ imperfectiones corporis physicas supponit, quæ neutiquam omni par est morbo.

Interdum docta plus valet arte malum;

tamen felicitati humanæ egregie intervrit. Hinc vsus eius non solum in negotiis privatorum iudicialibus frequens & fere quotidianus est, sed etiam in negotiis publicis, si de gentium salute disponatur, in pace componenda & foederibus icendis tanquam solidissimum fidei fundamentum, & maliciarum everriculum adhibetur. Tantum etiam abest, vt sacramentum, quod utilitatis suæ gravissimos præcones, vtrumque Paulum, & Apostolum & Ictum habet, (c) quod vocatur das Siegel der öffentlichen Ruhe und Ordnung, (d) ad vetitorum genera referri debeat, (e) id quod Mennonitis & Quakeris arridere fertur (f) vt potius, quæ exinde in genus humanum propullulant bona ex natura rei facile demonstrari (g) & luculentissimis Pandectarum divinarum (h) testimoniis corroborari possent, si instituti ratio id exigeret. Quanta quanta e contra sit iurisiurandi vitilitas, est tamen tantum ad instar remedii, neccessitate urgente adhibendi, eadem cessante abominandi. (i) Hinc suffragante Jure Canonico (k) *ad iuramentum non debet quenquam spontanea voluntas inducere, sed neccessitas trahere importuna.* Quæ asserta nostra nullis obnoxia videntur dubiis, si finem iuramentorum primarium illorumque definitionem explicatius eruamus.

(a) L. 8. pr. ff. de Cond. Instir. (b) EISENHART Grundsätze der deutschen Rechte in Sprüchwörtern.

(c) Habr. VI v. 16. JUL. PAUL. Recept. Sent. L. II. T. 1. §. 1.

(d) N. C. C. PR. BR. Cont. d. a. 1767. N. 29. Rescript. Reg. lan die Bresl. O. Am: & R. d. d. Berlin, d. 28. April, 1767.

(e) Quod colligunt ex Marb. 5. v. 34 & seqq. & Jacob. 5. v. 12. Sed conf. C. 26. X. de Jurejur. HENR. CANISII Opera de Jure Canonico ad l. all; ERASM. UNGEPAUER in Comment. in Decretal. ad l. all; HUGO GRO-

GROTIUS de *J. B. & P. L.* 2. T. 13. §. 21. Non tamen ubique Pontificiæ & Grotianæ explicationi dictorum quæ allegavimus biblicorum al-
bum adjicimus calculum, Solidiora pro tollendis quæ eadem premunt
difficultatibus offert J. H. BOEHMER in *J. E. P. T.* 1. *Libr.* 2.
T. 24. §. 16.

- (f) De Memnonitis conf. MOSHEIM. *Inst. Historiæ christianæ in comp. red.* a
JOCH. PETRO MILLERO *Sec.* 16. S. III. P. II. C. III. §. 7.
(g) DURANDUS a STRUVIO *all. in Syntagm. Jpdtiæ sec. ord. ff. Ex. XVII. 3.*
(h) *Exod.* 22. v. 11. *Levitic.* 19. v. 12. *Deuteron.* 6. v. 13. & 10. v. 20.
Esaia. 19. v. 18 *Jerem.* 4. v. 2. & 12. v. 16. *Apocal.* 10. v. 6.
(i) M. HEINR. WILH. JOHANSZEN D. *de determinand. moralit. iuriciurandi*
tanquam actionis bonæ, Reg. 1751.
(k) *C.* 26. X. d. *Jurej.*

§. 2.

Sæpissime accidit, vt homines, obligationibus suis satisfacere
declinantes iuri alterius, quodcunque possunt, detrudere allabo-
rant. Media, quæ leges civiles ordinarunt coactiva, temeritati
quidem patescenti obicem ponunt, sufficiuntque si veritas improbi-
tate depressa emergat, si iurium defensio interclusa respiret, vsu
vero & adplicatione destituuntur, si ad fraudem callidus tantum
audeat, quantum excogitat, si confidens astutia, vel callida audacia
religionem iudicis circumveniat, veritati tenebras & quasi noctem
quandam offundat, & sic deficiente probatione conditiones remo-
veat, sub quibus læso ius suum castis tribui potest sententiis. (a)
Quoad periculum vindictæ divinæ fraudem concomitantis, certo
certius quidem est, audaciam humanam a consiliis malitiæ deseriri.
Hinc suppliciorum divinorum certitudo, illorumque gravitas, quæ
nullis, ne quidem maximis ex scelere quæsitis commodis levare po-
test, mortales a deceptricibus detertere posset machinationibus.
Sed dormitante & cauterio vsta conscientia, nullus huic contem-
plationi locus relinquatur. Quæ quum ita sint, omnium fere gen-
tium consensu & suffragio obtinuit medium conscientiam hominis
expergefaciendi, vt periculi sensu adficiatur & pœnarum divinarum
metu extremiscat, si spes impunitatis quoad forum humanum fal-
lendi consilium forsan subministret. Quoties enim perfidiæ suspi-
cio illum, qui nobis obligatus est premit, & alia securitatis media



deficiunt, exigimus, ut actu externo declaret, se memorem esse pœnarum, quas summum Numen severissimas in fraudem & malitiam statuit. Prospicimus scilicet securitati nostræ per testimonium de conscientia debitoris vel tenera vel saltem suscitata, prospicimus nobis per iuramentum. Accedit quod in tali casu perfidia committi nequeat, nisi nefario huic ausui novum accedat scelus, scilicet abusus religionis. Qui enim in hoc fidem sibi conciliandi medium consentit, & vafre eandem violat, timorem divini numinis simulat, ut iniquitatis obtineat vinculum. Hinc Zelotypiæ (b) divinæ dicam scribit, quod facinus non potest non specialiori subjacere vindictæ divinæ. Quo majus vero est periculum prævisum, eo maior de eodem vitando solet esse cautio, id quod securitatem nostram auget. Possibile quidem est, ut nihilominus nobis inscelsis circa iusiurandum aliud agatur, aliud simulate concipiatur; sed meliori cessante securitatis medio adquiescendum est.

(a) CIC. Orat. pro A. Cluentio, in passu de furto & cæde Stratonis medici, & seqq.

(b) Exod. 20. v. 5.

§. 3.

Est vero iusiurandum consensus in pœnas divinas, declaratus sub conditione, si obligationi vel in specie vel individualiter determinata non satisfiat.

§. 4.

Sunt, qui adhuc tenerrimam agunt ætatem; nondum illorum expolita est ratio, subactumque iudicium; deficit vigor animi; consentire nequeunt; hinc deficit iurandi facultas. (a) Eadem sunt fata illorum, qui novercante natura, vel alia quadam calamitate eo rediguntur, ut iuxta Ciceronem mentis ad omnia cœcitate laborent; qui omnia cœco agunt impetu, quorum teste Pomponio (b) nulla est voluntas. Hinc nec consensus, nec iuramentum illorum poni potest. Si porro secundum Innocentii III. effatum (c) ebrietas mentis inducat exilium, qui iusto plures & sæcundiores inebriavit calices, crapula durante neque aras tangere, neque Numen testari potest. Eadem est ratio decisionis, quam rescriptum ALEXANDRI IMPERATORIS (d) exhibet; "Jurisurandi con-

remta religio satis Deum ulterem habet; periculum autem corporis vel ma-
iestatis crimen, secundum constituta Divorum parentum meorum, etsi per
principis venerationem quodam calore fuerit peieratum, inferri non pla-
cet. "Quidquid enim in calore iracundia fit vel dicitur non prius ratum
est, quam si perseverantia apparuit, indicium animi fuisse. (e)

(a) Nec obstat l. 26. D. de Furej. quæ est ex Pauli JCTi Libro 18. ad Edictum.
Qui iurasse dicitur, nihil refert, cuius sexus ætatisve sit: omni modo enim
custodiri debet iusiurandum adversus illum, qui contempsit eo, quum deferret,
fuit. In fine enim adduntur verba, quamvis Pupillus non videatur peierare,
quia sciens fallere non videtur. Multis parasangis a se invicem differt,
utrum actus quidam iuramento quoad externam formam similis, ex vo-
luntate & consensu tertii, qui adversarium, secundum l. 1. pr. D. Qua-
rum rerum actio non datur iudicem de causa sua facit, eandem cum iura-
mento obligationem consentienti onerosam producat, an iuramentum vere
tale & ex animi sententia præstitum adsit. Prius affirmat, posterius negat
Paulus quoad pupillum, impubere scilicet, qui peierare non videtur,
quia sciens fallere nequit. Non potuisset enim pupillum ob defectum
iudicii a perituri opprobrio liberare nisi simul ob eandem rationem sup-
posuisset, nullum eius esse iuramentum. Qui sciens fallere nequit, nec
quid dicat aut iuret intelligit. Hinc ULPIANUS in l. 4. pr. D. de Furej.
in licem simpliciter negat, pupillum, si impubes est, iurare posse. Sermo
ibidem est de iuramento adversus invitum præstando. Et si in l. 34. §. 2.
D. de Furej. idem ULPIANUS asserat, quod pupillo non deferatur iura-
mentum, hoc ita intelligendum est, non deferatur ita, ut manifesta sit in-
tuitu pupilli secundum l. 38. D. de Furej. turpitudinis, nolle nec iurare,
nec iuramentum referre. GUIL. BARCLAIUS ad l. all. 34 in THESAU-
RO IUR. ROM. OTTONIANO Tom. III. HUBERI Praelectiones ad D.
Lib. 12. T. 2. §. 10. Nec nos moratur vox IURARE, quæ in l. 26. all.
occurrit. Nihil novi enim est ut negotium aliquod a confectariis exinde
oriundis nomen fortiat. In hoc casu iurasse dicitur pupillus, quia actus
ab eodem editus iuramento quoad externam formam similis effectum iu-
ramenti habet.

(b) L. 40. D. d. div. R. 7.

(c) C. 14. X. de vita & honest. Cleric.

(d) L. 2. C. de R. C. & Furej.

(e) L. 48. D. de div. R. 7.

§. 5.

Non vero sufficit, ut iuraturus facultatem physicam consenti-
endi habeat; revera consentiat necesse est. Hoc vero fieri ne-
quit,



quit, nisi menti obvia sit vindictæ divinæ cognitio, quam assequi nequit, nisi convictus vel saltem persuasus sit de existentia summi omnium rerum moderatoris, Dei; nisi autemet, omnia quæ gerantur huius Numinis geri ditione, illudque, qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate colat religionem intueri, piorum & impiorum habere rationem. Ponamus enim, iuraturum Deum esse negare, nullus eius fingi potest consensus in pœnas non entis, cuius nullæ sunt affectiones; ponamus, eundem statuere, Deum quidem existere, sed nullam rerum humanarum curam habere; et in hoc casu vindictæ divinæ metum ridebit. Hinc consentire nequit in pœnas divinas, quas ad entia rationis nunquam exstitura audacter reiicit. Nec consensus in pœnas divinas securitati eius cui iuratur sufficiens assumi potest, si aliquis aut de omniscientia aut de iustitia Dei vindicativa dubitat. Tunc enim revera non vult, ut pœnæ divinæ existant, potius sperat fore, ut fraudulosa consilia intellectum divinum, cui tamen nec atomus, nec ætheris tenuissima particula latet, fugiant, potius exinde, quod lenta sit Dei ira, isque facile a quovis exorari queat, spem concipit impunitatis; immemor, *lento gradu ad vindictam sui divinam procedere iram, sed tarditatem supplicii gravitate compensare* (a) s. quod de Diis Ethnicorum JUVENALIS prædicat.

Nec surdum, nec Tiresiam quemquam esse Deorum (b)

Ut iuraturus præcise specialem vindictæ divinæ modum exprimat non est de necessitate, quamvis dentur iuramenta sic dicta execratoria. (c)

Quid vero, si quis Numen quidem adoratur, sed tale, quod nunquam exstitit, & nunquam exstiturum est? Quid, si idololatriæ studiosus sit, si falsæ religionis principiis sit imbutus? Quatenus per iuramentum non nisi fidei quasi pignus in conscientia alterius tenera vel fuscitata fundatum obtinere intendimus, non præcise, ut veræ religionis sacris iuraturus initiatus sit, requiritur, sufficit, si tantummodo menti idea Numinis cuiusdam sit obvia, cui perfectiones tribuit, quas iustitia fraudis nescia supponit, sufficit persuasio de Numine, quod neque fallit, neque fallitur, multo minus vero, ut instrumentum iniquitatis fiat patitur. Arctissimis etiam cancellis iuris-

iurisiurandi usus circumscriberetur, si tantummodo præstari posset ab illo, cuius mens veræ religionis principiis imbuta censetur. Saltem non obtineret hoc securitatis medium, nisi inter personas in eundem divinitatis adorandæ modum conspirantes. Nunc vero positus sub limitibus & ab illo exigi potest sacramentum, qui religioni ex sententia eius cui iuratur, heterodoxæ vel abominandæ & variis contaminatæ erroribus additus est; modo vt finis iuramenti obtineatur, cuiusque principiis accommodetur modus iurandi (d) Nec qui iuramentum defert, alterius superstitionem de Deo perversionem adprobat; tantummodo illum sub generali numinis complexione ligare vult, non attentis erroribus, quibus specialem eius conceptum sibi figurat. (e) Hinc cautela quam hoc intuitu SCHILTERUS (f) ponit, omnino digna est ut observetur.

- (a) CICERON. *Epist. ad Famil. L. 7. Ep. 12.* ubi falsissime ridet Epicureos. Addi etiam potest idem CICERO in libr. 1. de natura Deorum "Epicurus ex animis hominum radicibus extraxit religionem, quum diis immortalibus & opem & gratiam sustulit. Cum enim optimam & præstantissimam naturam Deo esse dicat, negat idem, esse in Deo gratiam. Tollit id, quod maxime proprium est optima præstantissimæque naturæ. Quid enim est melius, aut quid præstantius, bonitate et beneficentia, qua quum carere Deum vultis, neminem Deo, nec Deum nec hominem carum, neminem ab eo amari, neminem diligere vultis." Conf. etiam NAHMACHERI *Præp. Evang.* "Mirum poterat videri, in his, qui Deum aperte tollere nolunt, esse, qui providentiam penitus negant. Promachus eorum Epicurus est. Ille vero inde eam se dixit negare, quod Deos beatos putaret esse: beatitatem vero, positam in otio, cum providentia conciliari non posse. Ut autem iam nihil de erronea beatitatis, quam offert Epicurus, notione dicam: providentia ratio illum profusus præterit. Num non vidit, eam decreto Dei de rerum disturbantate absolvi: sed necessum putavit esse, ut Jupiter iam in Olympiæ Hecatombæ interesset, in Babylonia belligerantes invectur; apud Getas grandinet; apud Aethiopes convivetur." Multi sunt qui vitam Epicuri ut scdissimis voluptatibus immerfam depingunt, eidemque ob dogmata nefanda dicam scribunt. Si Lucretius eundem laudibus exornat, Lactantius murem leonis laudibus non ornatum sed obrutum & obtritum esse cenlet. VOSSIUS de *Philosoph. sectis C. VIII.* His e contra, quasi obtrektoribus cornua obvertunt scriptores recentioris ævi celeberrimi Petrus Gassendus; St. Evremond; L. B. des Coutures; la Mothe le Vayer; Sorbiere & Temple Voluptatem Epicuri ex indolentia & tranquillitate animi oriundam, ac temperantia aliisque egregiis virtutibus quæsitam defendunt, otium Diis assignatum



natum ne quidem cultui diuino multo minus virtutis sacerdotio aliquid detraxisse autumant, quid? quod excellentiam viri mirantur, cui, etiamsi mercede careat, per se petenda est externis virtus incomitata bonis; mirantur, illum crimina detestari, quem systema prohibet, ut furiarum verbera ardentisque tædas post fata sceleratis imminere credat. BAYLE *DICT. H. & C. sub Titul. Epicure.* VOSSIUS a JO. JACOB a RYSSEL. *contindatus C. V.* Nostrarum partium non est, secundum horum vel illorum placita vindicias dare; quatenus vero mentis immortalitas, Dei providentia & Numinis metus e Philosophia proferuntur, non solum teste, HEINECCIO *in Elem. Ph. rat. & mor. P. 1. C. 3.* maxima ad virtutem tolluntur incitamenta, sed etiam, quæ nostra est inspectio Epicurus sub data hypothesi in iuramento neque fidei sibi conciliandi medium, neque se fortius constringendi vinculum ponere potest. Saltem Epicuro, si viveret, iurato non plus fidei tribuendum esset, ac si simpliciter aliquid assereret.

(b) teste VALERIO MAXIMO C. 1. in tertio observata vel neglecta religionis exemplo externo.

(c) Juvenal. Sat. 13 in fine.

(d) Furamenta Judæorum huc pertinent.

(e) L. 5. §. 1. D. de Furej. Divus Pius iureiurando, quod propria superstitione iuratum est, standum rescripsit. Diversæ religionis principis initiati non nisi proprium divinitatis adorandæ modum veritati consentaneum esse autumant, principia eidem contraria superstitionis insimulant. Utinam nunquam opinionum circa sacra diversitas in odia internecina erumperet. Experientia contrarium docet;

*Inter finitimos vetus atque antiqua simulas,
Immortale odium, & nunquam sanabile vulnus,
Ardet adhuc, Ombos & Tentyra. Summus urinque
Inde furor vulgo, quod Numina vicinorum,
Odit uterque locus, cum solos credat habendos,
Esse Deos, quos ipse colit.* Juven. Sat. 15. v. 34.

Propria ergo superstitione adversarius noster iurat, si suæ religionis principis convenienter iurat, quum nos alia cultus divini via incedamus. Corn. van BYNCKERSH. *obs. J. R. L. 6. C. 2.* ubi simul omnem lectori scrupulum eximit de contradictione, quæ inter §. 1 & 3. huius legis all. 5 intercedere videtur. Intelligit per religionem publice improbatam illam, cuius causa apud Romanos non licuit coire, prohibente lege vel senatusconsulto. Sic non valet Jurisiurandum, quod per sacra Bacchanalia delatum & præstitum est. Egregia sunt, quæ Ill. Corn. v. Bynckershæck, elegantioris Jurisprudentiæ promus condus, de Scto Marciano, quod Bacchanalia sustulit differit in Tractatu de religionis peregrinæ cultu apud veteres Romanos; in *Opusc. eiusd. varii argum. T. II. Annotat* adhuc in obs.



all. elegantissimas sed nobis nondum probabiles coniecturas de explicando
notissimo Martialis Epigrammate in libro XI. 95.

Ecce negas, iurasque mihi per templa tonantis.

Non credo, iura Verpe per Anchialum.

Substituit in locum vocis *Anchialum* aliam, scilicet *Ancharium*, & Martialem Verpo fidem denegare autumat, si per Jovem Deum gentilium, non vero si per *Ancharium* sive asinum iuret, quia gentiles asinum pro Jædæorum Deo habebant. Alii aliter in eruendo huius Epigrammatis sensu procedunt; conf. MARTIALIS *ex editione Schrevelii c. Notis Variorum*. Hoc tamen certum est, Epigramma illud sistere argumentum formulæ, principiis eius, qui iurare debet, accommodandæ.

- (f) JO. BALTH. WERNHER *sel. Obs. For. P. IV. Vol. III. Obs. 151. n. 110.*
(g) SCHILTER. *Prax. J. Rom. in Foro Germ. Ex. ad D. 23. §. 21.*

§. 6.

Consensus declarari debet. Id quod fieri potest, actu quocunque externo, ad exprimenda, quæ mente reposita sunt cogitata idoneo, sit modo religiosus, i. e. religioni iurantis conveniens. Verba præcise non requiruntur. Quid enim, si aliquem aut malitia aut casus elinguem faciat? Usu loquendi cessante natura inventrix gestus motusque corporis diversimode variis, qua mens semel imbuta fuit, ideis accommodat, ut attento spectatori, quocum cogitata communicanda sunt, abunde sufficiant, ad cognoscendas, quas pectus intus habet, cogitationes. (a) Omnia huc redeunt, ut constet de iurantis conscientia vel tenera vel suscitata. Quibuscunque signis hoc palam faciat, perinde est, modo varia, quibus utitur signa repræsentativa eandem habeant vim eandemque potestatem. Si tamen nulla adsit necessitas, ad insolita confugiendi signa mentis repræsentativa, merito in solitissimis notissimisque subsistimus. Hinc ut plurimum intervenientibus verbis, quæ vel ore proferuntur, vel scriptura concipiuntur, sunt sacramenta. Quemadmodum vero consensus tanquam actio interna absque signis externis ne quidem adesse videatur; eodem modo actus externus, sit qualiscunque velit, habeatque maximam, quam habere potest significandi actum internum potestatem, si aliquid quoad iuramentum efficere debeat, hac intentione edatur, ut alter alterum iurare credat, ut alteri de consensu iurantis in pœnas divinas constet. Si hæc intentio deficit,



verba amplissimæ emphaseos nihil efficiunt. (b) Sic nec in scholis nec in iudiciis, qui concipiunt, prælegunt, explicant iuramentorum formulas, iurant, & optime Cydippe de formula amoris Acontio iurandi, quam vaser ille pomo inscripserat, puellaque nimis curiosa legerat, ratiocinatur. (c)

Quæ iurat mens est, nil coniuravimus illa:

Illæ fidem dictis addere sola potest.

Consilium prudensque animi sententia iurat,

Et nisi iudicii vincula nulla valent.

Si tibi coniugium volui promittere nostrum;

Exige polliciti debita iura tori.

Sed si nil dedimus præter sine pectore vocem;

Verba suis frustra viribus orba tenes.

Non ego iuravi: legi iurantia verba.

i. e. legi verba, quæ vim iuramenti habent, si intentio iurandi adsit.

(a) Hollbergs R. und V. R. §. 173.

(b) Arg. L. 3. §. 2. D. d. o. & a. (c) Ovid. Epist. Heroid. 21. v. 135.

§. 7.

Verba, quæ iurandi formulam ingrediuntur, diversimode concipi possunt. Formularia solennitas vim iuramenti per se neutiquam auget. Sufficit unica vox iuro (a) vel solitarie posita vel aliis verbis execrationum vel contestationum vim habentibus iuncta; (b) si mens tantummodo quæ huic verbo insit, vim & efficaciam probe perspiciat. Aliquando tamen, ut omnia de inconsulta iurantibus facilitate cessent dubia, non solum formula ipsa laxiori concipitur stilo (c) sed variæ etiam secundum Leges actum iurandi antecedunt concomitanturque solennitates, (d) quæ si naturæ rei conveniunt, i. e. si ideas et cogitationes excitent, facilitent, promoveant, quas iuraturus habere debet, laudari merentur. Accidit tamen aliquando, ut vel iniquitatis notam haud effugiant (e) vel indifferentes sint, quarum priores, illis qui solennia ordinaverunt, sunt dedecori, & una cum posterioribus abrogationem postulant. Non negamus tamen & solennitates indifferentes aliquando pl. b. m. addicere, quæ ex ceremoniarum cumulo ad negotii gravitatem argumentari

mentari solet, quæ & aliquando ope falsi suppositi circa solemnitates indifferentes a periurio arcetur. Aliquando & lepus peierare volenti est impedimento. (f)

(a) WOLFFII *J. N. & G. P. III. C. 5. §. 889.*

(b) Distingui a se invicem debent contestationes in specie sic dictæ, iuramenta & execrationes. Contestationes in genere sunt solennes dictiones loquendique formæ ad fidem nobis conciliandam adhibitæ; quæ ob speciales accedentes determinationes, mox in iuramenta mox in execrationes abeunt. Iuramentum requirit consensum in pœnas divinas fidei sibi conciliandæ gratia declaratum; execratio consensum in pœnas divinas determinationes eundem in finem declaratum. Nihil vero obstat, quo minus una eademque oratione iuramenta & execrationes aliis iungantur contestationibus simpliciter talibus *Conf. Nov. 8. in fine*, ubi copia fit formulæ iurisiurandi, quod præstatur ab his, qui administrationes accipiunt, & ob execrationes in fine additas iuramenti horrendissimi elogio insigne est. Sic etiam Iuramentum a Iudeis præstari solitum, cuius formulam exhibet *deq. Anhang zum Cod. Frid.* multas continet execrationes. Utilis de amplanda per alias simplices contestationes iuramenti formula esse videtur observatio, ad decidendam quæstionem, utrum iurare liceat per res quas admiramur sed non religiose colimus. Jurabant veteres per salutem suam, per caput &c. Gellia apud MARTIALEM *l. 8. Ep. 81.* iurabat per unio- nes, quos sibi charissimos rebus aliis omnibus anteponebat. Amatoribus religiosissimum erat, iurare per fulgentes oculos, per dulce osculum, per crines aureos dominæ. Jurabant etiam veteres per caput, per genium, per salutem principis. *l. 13. §. ult. D. d. Furej. l. 41. C. de Transf. §. 1. J. de fideicom. heredit. BARCLAIVS ad L. 5. ff. d. Furej.* Exempla eiusmodi iuramentorum cummulavit PUFFENDORFF. in *J. N. L. 4. C. 11. §. 3.* Sunt qui in tali casu creatorem rerum nobis charissimarum & quidem propitio iure indigitari & sic rite iurari credunt. GROTIUS *L. 2. C. 13. §. 11. ULPIANUS l. 33. D. de Furej.* "qui per salutem suam iurat per Deum iurare videtur. Respectu enim divini Numinis ita iurat. Sunt qui Deum invocari autumant ut si iurans sciens fallat, iustitiam vindicativam exerceat circa rem per quam iuratum est. In primis PUFFENDORFFIUS huius sententiæ est propugnator, eandemque etiam applicat, ad iuramentum per genium principis præstitum, quum tamen alii autumant, idcirco per principes iurari posse, quia iisdem vivis iamiam Numen inesset; aut quia fortissimum esset vinculum, iram principum in se fallentes imprecandi Mentis veterum Puffendorffiana sententia videtur esse consentanea;

Ulla si iuris tibi peierari

Pœna, Barine nocuisset unquam

B 2

Dente



*Dente si nigro fieres vel uno
Turpior ungui
Credere; Sed tu simul obligasti
Perfidum votis caput, enitescis
Pulchrior multo, invenumque prodis*

Publica cura.

HORAT. L. 2. Od. 8.

Loquitur locus allegatus de iuramento per salutem propriam præstito. Et quamvis applicatio huius interpretationis si quis per salutem tertii, e. g. per oculos amicæ iurat, iocularis esse videatur, eius vestigia tamen huc & illuc passim occurrunt. Pertinere huc videtur illud OVIDII L. 3. Eleg. 3. v. 13. & 14.

*Perque suos illam quondam iurasse recorder
Perque meos oculos, & dolere mei.*

In hoc sententiarum divortio, animus, cui scēz accedat, anceps & dubius hæret. Sed Philosophia quæ seculi huius ornamento, Philosophorum Principi L. B. DE WOLFF nomen debet, novam eluctandi viam suppeditat. Subtilis hicce Philosophus rem optime sic explicasse videtur, "Si quis iurat per res quascunque, de quarum existentia nemo dubitare potest, vel quas sibi charissimas esse constat, & veritatem dictorum existentia illarum, vel pretio in quo eas habet, comparat quoad certitudinem, vocabulo vero iuro eum tribuit significatum, qui vi definitionis iuramenti eidem competit, iuramentum per res quascunque acquipollet iuramento per Deum." Adest scilicet in tali casu negotium ex iuramento & simplici contestatione mixtum; quod omnino salva admitti potest conscientia. Veteres scēpissime quidem ad voluntatem adversarii iurabant per res sibi charissimas, ignorata WOLFFII interpretatione, adoptata potius quæcunque alia huius rei explicatione. Exinde vero nihil aliud sequitur, quam ut veteres scēpissime vel in simplici alterius contestatione, vel in iuramentis putativis adqueverint. Unicuique relinquendum est, secum deliberare, quodnam securitatis medium sibi sufficiat. Si denique Leges eiusmodi iuramenta putativa aliquando cum veris confundere & de finibus regundis minime sollicitæ esse videntur, hoc exinde est, quia quoad effectus civiles perinde est, quomodo quis sibi fidem fieri desideret.

(c) Conf. PLAUT. *Bach. A. 4. Sc. 8. v. 50.*

*ita me Juppiter, Juno, Ceres,
Minerva, Latona, Spes, Opes, Virtus, Venus,
Castor, Polluces, Mars, Mercurius, Hercules
Submannus, Sol, Saturnus, Diique omnes ament.*

ID. Amphit. A. 2. Sc. 2. v. 201.



*Per supremi regis regnum iuro, & matremfamilias
Junonem, quam me vereri & metuere est par maxime*

ID. eod. loc. A. 3. Sc. 2. v. 50.

Id ego si fallo, tum Te summe Jupiter

Quaeso, Amphitruoni ut semper iratus sis

hodie apud nos, quoad Protestantes ut plurimum formula incipit, ich N. N. gelobe und schwere zu Gdt; additur plerumque einen Eyd, einen Körperl. oder einen leiblichen Eyd in fine denique occurrunt verba so wahr mir Gdt helfe und sein heiliges Wort, oder sein heiliges Evangelium, oder durch JESUM Christum, Amen.

- (d) Solemnitates antecedentes reperiuntur in admonitione de vitando periurio, s. in avisione; hinc descendit denominatio iuramenti avisati eines gelehrten Eydes. Solemnia quae ipsi aetui iurandi accedunt, & denominationi eines körperlichen, leiblichen Eides anam dedere, pro genio diversorum populorum sunt diversa; & mox gestus iuraturi, mox locum in quo iuratur concernunt. In S. S. occurrunt exempla de manu iurantis femori eius cui iurabatur supposita, *Gen. 24. v. 9. Gen. 47. v. 29.* lege deine Hände, unter meine Hüfte, nec non de manu iurantis elevata *Gen. 14. v. 22.* Apud Græcos iurantes in Thesmophoræ h. e. legiferæ Cereris templum descendebant, & prævio sacrificio iurabant. Aliquando verre apprehenso & stricto in iugulum gladio, cælum, terras, solem, & ultrices furias advocare & testes facere, aliquando verre immolato & in mare deiccto iurare moris erat. Romanis sollemnissimum teste GELLIO L. I. N. A. C. 21. erat iusiurandum per Jovem lapidem, ubi iuraturus silicem tenens his verbis utebatur; si sciens fallo, tum me Diespeter, salva urbe arceque ejiciat, ut ego hunc lapidem; conf. etiam *Livius L. 21. c. 45.* de Annibale; "eaque ut rata scirent fore, agnum lava manu, dextra silicem retinens, si falleret, Jovem ceterosque precatus Deos, ita mactarent, quem admodum ipse mactasset agnum; secundum precationem caput pecudis saxo illisit" Plures apud Romanos usitatas sollemnitates recensere ab instituto nostro alienum est Conf. JAC. CUIACII ICTI *Clarissimi Obser. & Emend. Lib. I. Cap. 21.* et BRISSONII *d. F. & S. P. R. V. Lib. 8.* Unicum tantummodo addere liceat; In decidendis causis controversis apud Romanos olim & iudicibus & litigatoribus & advocatis iurare erat solenne. Iudices iurabant, se omni modo cum veritate & Legum observatione iudicium esse disposituros; quamdiu nondum iuraverant, iudicalem calculum non accipiebant, teste JUSTINIANO IMP. *l. ult. C. in pr. de Judiciis.* Litigatores iurabant, nihil se ob advocacionem cuiquam dedisse, idque ex Lege Cincia & Scto, cuius mentionem facit PLINIUS L. 5. *Ep. 21.* Advocati denique iurabant, nihil se ob advocacionem accepisse. JACOBO RAEVARDO *in Tom. I. Oper; Libr. Varior. V. C. 8.* verosimile videtur, sacra-



menta hæc præstita fuisse ad Puteal Libonis s. aram Apollinæ aut Mercurio sacram, vel aliam quandam aram Puteali everso surrogatam, & in Comitio ad lævam Curie sitam. Puteal enim, si eiusdem mentionem faciant veteres scriptores, semper refertur ad forum & iudicia; Numismata, quorum unum Autor celeberrimus picturæ ope lætoris oculis subicit, hæc Puteal sub forma aræ sistunt; Numismatum inscriptiones illud Puteal ad Concordiam & bonum eventum, sc. ad concordiam iudicum, & bonum eventum sententiarum referunt. Eodem sensu HORATIUS L. 1. Ep. 19. v. 8. Puteal accipere videtur

Forum Putealque Libonis mandabo siccis;

i. e. sobriis & ieiunis hominibus; nec non Sermonum L. 2. Sat. 6.

Ante secundam

Roscius orabat sibi adesse ad Puteal cras.

In PERSIO Sat. 4. phrasis; *Puteal multa vibice flagellare*, nihil aliud significare videtur, quam peccare. Versus OVIDII, denique in *Remed. Amor. libr. unico v. 561.*

“Si Puteal Janumque timet celeresque calendæ

ex eiusdem Rævardi explicatione quadrat in Debitorem, qui peccare timet, occursum fugit Creditorum & celeres usurarum Calendæ detestatur. Rationem denique huius ritus, & quod revera ad Puteal Libonis sacramenta fuerint præstita probat Auctor celeberrimus ex SYMMACHO, qui quum Gratianus Imperator aram, ad quam iurari solebat, everti & complanari iussisset huius aræ restitutionem ab Imp. Valentiniano Theodosio & Arcadio obnixè postulat. *Ubi in Leges nostras & verba iurabimus? Qua religione mens falsa terrebitur, ne in testimoniis mentiantur! Omnia quidem Deo plena sunt, nec ullus perfidis tutus est locus. Sed plurimum valet ad metum delinquendi, etiam præsentia religionis urgeri. Illa ara concordiam tenet omnium, illa ara fidem convenit singulorum, neque aliud magis auctoritatem facit sententiis nostris, quam quod omnia iuratus ordo decernit.”* Utrum restitutio aræ pro mutata rerum & religionis facie salva urgeri potuit conscientia, ut inquiramus, nostrarum non est partium. Hoc tamen certum est, Theodosium, quamvis Christianum Gentiles, Magistratus iniuros per Deos suos iurare passum esse. BYNCKERSH. *Obs. 7. R. L. 6. C. 2.* Nec Germanis desunt ritus solennitatesque in actu iurandi adhiberi soliti, id quod HEINECCIUS & EISENHARDT in *Instit. Juris Germ.* uberius docere allaborant. Variæ etiam occurrunt observationes de iuramento præstito in caput pecudis, auf freyen Kirchhöfen, in Kirchen, in haroha, bey einem Kreuz, bey den Gräbern der Heiligen, in Dreyeri-Tractatu von dem Nutzen der Seidnischen Gottesgelahrtheit in Erklärung der deutschen Rechte und

und Gewohnheiten mitler Zeiten; qui Tractatus una cum alio von der in Holstein ehedessen üblichen Gewohnheit, die Eyde an der Klinge des Degens abzulegen reperitur in DREYERI Sammlung vermischter Abhandlungen 2c. conferantur etiam Eisenhardt's Grundsätze der D. R. in Sprüchw: sub paræmia, ich werde dir nicht alle Heiligen hertragen. Apud nos, quoad locum, si a Judæis abstrahamus, quippe qui aliquando in Proseucha sua iurare tenentur, fere nulla observatur sollemnitas. Juramenta iudicialia in regula in iudiciis præstantur, nihil tamen obstat, quo minus & inter privatos parietes coram Deputato præsententur. Quoad gestus olim tactus Evangeliorum solennis erat. Qui ritus tamen ad Clericos non pertinebat. Sufficiebat si illis qui in corde Evangelium habere debent, Evangelia præponerentur. Hodie Masculi iurant erectis tribus digitis manus dextræ; feminæ iurant totidem digitis eiusdem manus pectori sinistro impositis; qui ritus quoad feminas adhiberi solitus exinde ortus videtur, quia olim Evangelium super collum pendebat, & sic libellum super collo pendulum contingebant. Qui Religioni pontificiæ sunt addicti, venerabili crucis signo præposito eodemque tacto flexis genibus iurant conf. GUNDLING in Gundling P. IV. Obs. 1. & 2. HEIN. Clem. J. G. L. 3. §. 223. & 227. Solennitates in Judæorum Juramentis adhibendas pluribus recenset APPENDIX COD. FRID. Omnino tamen dignus est, ut de hac Materia conferatur CARL. ANTON Einleitung in die Rabbinische Rechte, dabey insonderheit von einem Juden: Eyde, wie solchen eine Christliche Obrigkeit am verbindlichsten abnehmen kan, umständlich ist gehandelt worden.

- (e) Sic SEIDELIUS de Processu Silesiaco L. II. C. 11. §. 28. refert, Wratislaviæ hunc circa iuramenta Judæorum observari ritum, ut nudis pedibus super pelle suilla iurantes stare debeant. Der Jude muß seinen rechten Arm bis an die Brust entblößen, und dieselbe Hand auf die hebräische 10 Gebothe legen, auch auf einer frischen Säubaut, so die Borsten empor fehret, mit bloßen Füßen stehend schweren.
- (f) JAC. FRID. LUDOVICI. D. de solennibus Juramentorum, C. 2. §. 22.

§. 8.

Consensus denique declaratur sub conditione, si obligationi non satisfiat. Revera totum hocce negotium nihil aliud involvit, quam enixam declarationem, quod nexus menti obvius sit, quem intercedere oportet inter actiones obligationi contrarias, & pœnas divinas, quæ non solum per se ex vindictæ divinæ certitudine gravissimæ sunt, sed & ex summi Numinis Zelotypia ob religionis nefandissimum abusum horrendum accipiunt ambitum. Cessante ergo obliga-



obligatione ipsa, cessat omnis quæ alias iuramento debetur vis & efficacia. Fundamento destitui videntur argumenta illorum, qui mediante iuramento novam stabiliri autumant obligationem, intuitu Dei saltem adimplendam. Accessorii potius ratio eidem cohæret, quod a principali, cui accedit negotio eiusque natura omnem qua pollet potestatem mutuatur. Hinc nulla excogitari potest obligatio, ad facta edenda, quæ lædunt pietatem, exiltimationem, verecundiam nostram, etiamsi illorum editio iurato fuerit promissa. (a) Coniuratio impia, etiamsi ut catilinaria super visceribus mactati pueri comedendis iniatur, nullam producit obligationem. Nec opus est relaxatione, (b) quam sacra auri fames sibi aliquando nullo arrogat iure. (c) Defectus pactis cohærentes, qui vim eorum obligationem destruunt, non tolluntur adhibito iuramento. Quatenus vis & metus validitati pacti obstat, eatenus & iuramentum omni constringendi virtute destituitur. (d) Vindictæ divinæ enim nullus locus est, ubi omnis cessat succensendi materia. Posito e contra obligationis principalis vinculo, non quidem qui iurat in maius, sed magis obligatur. Quo maiora enim, quo fortiora sunt motiva, quo distinctius cognita, eo maior est obligationis formaliter talis ambitus, eoque maius periculum, quod ex actu obligationi contrario imminet.

- (a) *Arg. l. 15. ff. d. Cond. Inst. conferatur etiam c. 12. X. de Jurej. "In Episcopos, qui suum transgressi sunt iuramentum, est tanto gravius vindicandum, quando maiori præminent dignitate, & eorum exemplo facilius alii poterant ad similia provocari; illi vero, qui iurant, non loqui patri vel matri, sorori vel fratri, aut illis humanitatis subsidium non exhibere, absolvendi sunt ab illius observantia iuramenti, quam illicitum sit & contrarium rationi; iniuncta tamen eis de hoc quod male iuraverint, pœnitentia competente" & secundum c. 18 X. eod. iuramentum non ut esset iniquitatis vinculum est institutum* Manifesta huius rei species occurrit in *Nov. 51 in fine pr; agit sc. de muliere scenica, quæ iurato promisit ut perpetuo illud vitæ genus continuare velit, & pie se agere putat, si impie agat* liceat mulieri, licet huiusmodi iuramentum iuraverit, recedere a iurisiurandi huius amaritudine, & caste vivere, sine periculo periurii: magis autem Deo amabi.

- amabiliter poena perjurii, si qua omnino est poena, contra illum, qui eiusmodi iuramentum exigit, convertenda.* NICOMACHUS apud CURTIUM L. 6. c. 7. nulla se ait religione, ut scelus tegat, posse constringi, & verissimum est illud SENECAE, aliquando scelus est, praestare fidem.
- (b) MAESTERTIUS *de iustit. LL. Roman. L. 2. C. 24*; conspirare videtur ipsum Jus Canonicum in *all. c. 18. X. de Furej. non tam absolutio necessaria, quam interpretatio requirenda.*
- (c) JO. BALTH. WERNHER. *Sel. Obs. P. IV. Obs. 151. p. 399.*
- (d) Dissentiunt GROTIUS L. 2. c. 13. §. 14. 15. CANZIUS in D. M. §. 345. Qui nobiscum faciunt PUFFENDORF. L. 4. c. 2. §. 8. nec non in Tr. d. O. H. & C. C. XI. §. 6. GLAFEY L. 4. c. 2. §. 26. accuratiorum thesicos determinationes neglexisse, & universalitati nimis indulgisse videntur. Abstrahamus a coactione simpliciter tali scilicet actione invita per violentiam externam physicam simpliciter talem, abstrahamus a praedominio metus, ponamus licitum pacti objectum, obligationes forsitan naturales eius, qui iurato promissit, & memores simus, ut etiam actio metu coacta in hac vel illa hypothese voluntaria esse queat. His moti cautionibus, limitationes, quas levi indigitavimus digito, admittere non dubitamus.

§. 9.

Multis dubiis obnoxia est quaestio, utrum iuramentum sit obligationis inducendae medium, nec ne? Conquirantur ergo argumenta pro extricandis dubiis, quae nostrae obstant sententiae. Prima sit de iure naturae inspectio. Non negamus motiva, quae obligationem constituunt, mediante iuramento augeri, cumulari. Si ergo quis per nova motiva novam stabiliri autumet obligationem, nos non nisi in verbis dissentientes habebit. In re ipsa conspiramus. Sit ergo formaliter nova obligatio, absit tantummodo nova obligatio materialiter talis. Concedimus porro, actum quo obligatio stabilitur, & actum quo corroboratur, uno eodemque temporis momento aliquando ita cohaerere, ut fons obligationis in iuramento latere videatur; si iuretur & contrahatur simul, si ipsa promissi verba iuramentum involvant, & obligatio iuramentum antecedens & citra istum religiosum actum valida non concipiatur. Sed accuratior utriusque in unum conflati negotii analysis inserviet ad id, ut facile obligatio principalis a vinculo iuris iurandi accessorio distinguatur; conferatur sagacissimus solidissimusque OPERIS PUFFENDORFFIANI Commentator JEAN BARBEYRACK, (a) "*Le ferment est*

C

par



par rapport a l'obligation où L'ON ENTRE, ce que sont les modes ou les
 accidens par rapport à la substance sans la quelle ils ne sauroient subsister
 Ponamus promissum nondum acceptatum, sed iuramento confirma-
 tum. Si promissum ipsum invalidum est, iuramentum vi corrobora-
 tiva destituitur, si est licitum adhuc omnis obligationis vis ex sub-
 sequente pendebit acceptatione, nisi pollicitationem absque accep-
 tatione validam supponamus. Sunt ergo iuramenta ut modi vel
 accidentia ratione substantiæ citra quam subsistere nequeunt. Sed
 alia se offert quæstio, utrum promissum nondum acceptatum revo-
 cari queat? Quæ nostra de hac re sit sententia, ex illis quæ sequun-
 tur elucescet. CANZIUS enim sequens maximi momenti dubium
 offert (b) *Quidquid per se solum, sine prævia obligatione alia potest obliga-
 tionem inferre, id utique alteri nullo modo inhærentem, sed novam gignit
 obligationem. Atqui iuramenta id præstare possunt; dantur enim JURA-
 MENTA, SIMPLICI MENTIS DESTINATIONI ADJECTA,*
quæ destinatio per se non stringit. Non negamus, multum ponderis
 huic argumento inesse, sed difficultates exinde oriundæ sic optime
 removeri posse arbitramur. Speramus fore, ut quilibet nobis lar-
 giatur, ex eiusmodi destinatione animi in favorem tertii concepta,
 tertio nullum oriri ius perfectum; Jus Naturæ cogens non nisi læ-
 sionibus obicem ponit, easdemque tollere allaborat. Nulla vero
 apparet læsio, si alter destinationi mentis in meum favorem con-
 ceptæ, etiamsi iurata fuerit, contraveniat. Sed nonne intuitu Dei
 obligatio adest inviolabilis exacteque servanda? Destinatio mentis
 habet pro objecto vel obligationem naturalem vel non. In priori
 casu abusus iuramenti quidem adest, obligatio tamen naturalis
 fortior evadit accedente iuramento. Hinc quousque implemen-
 tum possibile est, quousque nulla est collisio cum obligatione
 maioris momenti, absque pœna periurii violari nequit, e. g.
 apud animum iurato constitui pauperibus quotannis nummos quos-
 dam sub eleomosynarum titulo erogare. In hoc casu accessorii
 ratio iuramento cohærens in aprico est. In posteriori casu destinatio
 mentis concernit vel actionem illicitam, & nulla erit obligatio;
 eadem esset ex nostra sententia decisio, si implementum eius, quod in
 destinatione est, maioris boni impedimentum sisteret; si liberis for-
 san,



fan, dulcissimis alias homini pignoribus, commodior exinde detraheretur educatio; vel respicit eadem destinationem actionem licitam quidem, sed neque præceptam neque prohibitam e. g. si dives diviti quotannis C. dare apud animum iurato constituit. Tali aliquando se offerente inspectione abusum religionis abominandum, assumptionem nominis divini in vanum, illamque prohibitam adesse statueremus, vinculum obligatorium e contra nullatenus obtineret. Duplex tantummodo iuramentorum finis poni potest, alter ut fidem nobis conciliemus, quæ in iurata animi destinatione cessat; alter ut fortius nos constringamus, ut arctiorem contrahamus obligationem; qui itidem dum comparativus supponit positivum, cessat. Forsan vero in tali casu præmissum Deo factum, svadente id Philosophia Grotiana (c) statui potest? Non negamus, Deo aliquid promitti posse, id quod in votis fieri solet; quid? quod & vota iurata obtinent. Sed tunc obligatio non ex iuramento sed ex voto oritur. Si abstrahamus a voto, propitio iure ponimus, Dei nihil interesse, utrum actio indifferens fiat nec ne & a ratione alienum est, Deo promittere, quæ plane nullius sunt utilitatis. In votis gloriæ divinæ amplificandæ vel gratitudinis Numini exhibendæ ratio vertitur. Omnia hæcce vero cessant sub data hypothesi; hinc nulla succensendi materia adest, si actio indifferens omittatur. Quid ergo! nulla hic obtinebit vindicta divina? obtinebit omnino, non ratione periurii, quod concipi nequit, nisi ponatur iuramentum veri nominis, sed quia abusus religionis adest, quia detrahitur reverentiæ Numini debitæ per eiusmodi iuramenta nulla suffulta necessitate. Et hæcce pœna semper manebit eadem sive fiat, sive non fiat, quod fuerit in destinatione. Sequitur ut disseramus de Jure Canonico. Conspirat illud in plurimis capitibus cum nostris assertis. Facile consensus demonstrari posset ex tribus, quos iuramentis concedit comitibus. Requirit enim iustitiam, intellectum & veritatem. (d) Iustitia in primis respicit objectum iurisiurandi, & expresse prohibet Jus Canonicum ut ne iuramentum fiat vinculum iniquitatis. Quoad quæstionem cardinalem vero, utrum iuramentum pro fonte obligationis haberi queat, placita Juris Canonici recedunt a meditationibus nostris ex Jure Naturæ deductis. Est scilicet



licet tritissima Juris Canonici regula, *servanda sunt iuramenta,*
quæ salva salute æterna servari possunt; quid? quod, eo-
 usque procedit sollicita de vitando peccato cura, ut ad servandum
 iusiurandum censuris ecclesiasticis iurantes adstringantur. (e) Deri-
 vanda videtur doctrina Pontificis ex falso illo supposito, ac si iura-
 mentum contineat promissum Deo factum, nec non ex fine minus
 laudabili, forum ecclesiasticum quam latissime prorogandi. Multa
 sunt incommoda quæ hanc regulam premunt. Ipsi Pontificibus ali-
 quando ansam dedit, ut committerent sophismata. Sic Alexander III.
 illos, qui iuramento ad solvendas contra prohibitionem Juris Cano-
 nici usuras se obstrinxerant, ut Domino reddant iuramentum, co-
 gendos esse asserit; creditores e contra ecclesiastica auctoritate ad eas
 restituendas adigit. Non liquet, utrum periurio plus reverentiæ
 divinæ decedat ac Pontifex eidem detraxerit adhibita cavillatoria
 eiusmodi de servando iureiurando interpretatione. (f) Et sane
 omni propter hanc causam indignus est veniã, quod secundum
 solitissimam interpretationem, quam ut infallibilis ignorare non
 poterat, regula nullius usus sit in actu simpliciter prohibito;
 restringitur scilicet ad actus in favorem agentium invalidos, qui
 tamen nisi impugnentur valere possunt. Luculentissimis exemplis id
 probat BOEHMERUS. (g) Sed missis hisce strictim videamus, quæ
 scopo nostro propius inserviunt. Juramenta sunt secundum Jus Ca-
 nonicum modus inducendæ obligationis, quatenus hæc Legibus ne-
 que naturalibus, neque civilibus simpliciter prohibitis refragatur,
 quatenus obligatio illi qui iurat, nulli tertio est damnosa sive one-
 rosa. Et quidem non solum obligatio ponitur interna, sed etiã ex-
 terna. ALEXANDER III. (h) non nisi coactionem auctoritate ec-
 clesiastica suffultam concedebat; Innocentius III. (i) censuras ordi-
 nabat ecclesiasticas, scilicet excommunicationem eius, qui iuramenti
 immemor in foro seculari agere intendebat. Hac censura ligatus
 a limine iudicii repellebatur, & sic saltem per indirectum illi cui
 iuratum erat, prospiciebatur; Ulterius denique procedere ausus est
 Bonifacius VIII. (k) qui ut periculis animarum obviaret, ipsos
 iudices seculares censura adigebat ecclesiastica, ut Jus Canonicum
 pro norma acciperent regulativa, si de obligatione iuramenti pro-
 nuncient

nuncient. (l) Progrediamur ad Jus Civile. Si Juris Canonici placita ob regulam iamiam allegatam non possint iniustitiæ insimulari, quatenus scilicet a Juris conditoribus pendet, modos contrahendi obligationes determinare; & quatenus limitationes maxima ex parte indigitatæ, non nunquam vero ab ipsis Pontificibus neglectæ, observentur; Expeditius tamen esse videtur, si iurisiurandi religio accessorii rationem quam a natura habet, retineat, & cessante obligatione principali nullum inducat vinculum. *Causam peroravit HUBERUS.* (m) Ipsa scilicet religio id svadet, ne promiscua iurandi consuetudine, quæ sine dubio inoleceret, si iuramenta vim obligandi per se haberent, idque cum effectu forensi, res sanctissima profanetur. Hinc etiam Jure Romano actus, qui Jure Civili non validus est, iureiurando confirmari nequit, (n) Quæ Legibus sunt prohibita, sacramento firmari nequeunt, sive eiusmodi iuramentum omni effectu legali & iudiciali destituitur, ne LL. iurantium temeritate evertantur; generaliter (o) *quoties pactum a Jure communi remotum est, servari hoc non oportet, nec iniurandum de hoc adactum.* Constat etiam inter omnes, quod clausula iuratoria testamento de eodem non mutando adjecta nullius sit valoris. (p) Prolixius hoc argumentum persequitur & æquitatem Juris Romani defendit MAESTERTIUS (q) qui tamen in eo errare videtur, si l. 1. C. si advers. vend. & Avth. Sacram. Puberum C. si advers. venditionem; ita cum legibus a nobis supra allegatis conciliare studet, ut omnium harum Legum optima sit harmonia & consensus amicus. Nos utrumque locum ad Exceptiones referendum censemus, sicuti & l. fin. ff. d. liberal. causa & l. 7. pr. ff. d. Oper. libert. exemplum obligationis non nisi per iuramentum inductæ sistunt. Quoad intellectum l. 1. C. si advers. Vend. & Avth. all. BOEHM. legem 1. restringit ad contractus stricto iure validos, a minore gestos, & per iuramentum confirmatos, ita ut propter validitatem negotii principalis, iuramentum eoque suo valeat momento, ut beneficium restitutionis in integrum excludat, id quod Bulgarus contra Martinum, qui ex Juris Canonici placitis & contractus invalidos iuramento confirmari autumabat, tempore Friderici Barbarossæ urgebat; Imperator Martini sententiam adoptabat & per Avth. all. iuramentis vim concedebat cor-



roborandi negotia minorum invalida. Quatenus hæc interpretatio circumstantiis historicis, occasionem Authenticae determinantibus a PANZIROLLO (r) relatis innititur, reliquis præferenda videtur. (s) Ultima denique inspectio sit de Jure prutenico. Exigua Juris Canonici in foris Regni Prussiae est auctoritas & usus. (t) Jus Prutenicum d. A. 1620. et 1721. (u) quidem quoad nostram controversiam placitis Juris Canonici subscribere videtur, regulam adoptando, omne iusiurandum, quod sine peccato s. interitu salutis aeternae adimpleri potest, religiose est servandum; Consensus utriusque iuris tamen non adeo magnus est. Limitationes regulam fere destruunt. Obtenent enim restrictiones, quas Jus Canonicum ut plurimum attendit, & aliquando non nisi inconsulto neglexisse videtur. Sic si quis scienter de rebus inhonestis & illicitis iuraverit, eiusmodi iuramentum tanquam contra bonos mores susceptum & conscientiam gravans irritum est. Eadem est decisio de iureiurando per vim vel metum alicui extorto. Extant etiam in Corpore LL. prutenicarum dispositiones, quæ speciales ponunt regulæ coarctandæ modos. Sic læsio enormissima, quamvis tantummodo in præiudicium eius, qui iuravit tendit, ansam suppeditat impugnandi pacta iurata & renuntiationes sacramento confirmatas. In hoc quidem & illo casu ubi de iuramento vi metuque extorto quaestio est, relaxatio vel absolutio a Serenissimo vel a Consistorio ecclesiastico impetrari & fieri debet, quid? quod supponitur ut conscientiae scrupuli in antecessum removeantur. Sed finis huius dispositionis tantum esse videtur, ut ne sub prætextu læsionis vel deficientis consensus iuramentum alias validum negligatur, & sic religionis vinculum contemnatur. Ratione quaestionis utrum iuramentum habeat vim obligatoriam, si actus secundum leges favorem privatorum respicientes invalidus, iuramento confirmetur, in negativam inclinamus. Est enim 1) contra bonos mores, si iurantis temeritate Leges evertantur; deficit iustitia, ad comites iuramenti propitio iure referenda. 2) Continet Corpus LL. prutenicarum casus ubi iuramentum eiusmodi pro irritato declaratur. Sic Scto Macedoniano ne quidem iurato renunciari potest. (x) Pactum legis commissoriae iuratum nullos habet effectus. (y) Jurata donatio inter coniuges ex causa ingratitudeis revocari

cari potest. (z) Nec obstat 3) quod actus qui iuramento confirmari prohibentur, vel ad actus simpliciter prohibitos referri debeant, quippe qui ne quidem secundum Jus Canonicum robur ex iuramento accipiunt, vel in præiudicium tertii tendant. Exemplum de iurata donatione ex causa ingratitude revocanda saltem classem horum actuum non auget. Propter ingratitude revocare quæ donata sunt, pertinet ad actus neque præceptos neque prohibitos. Præiudicium tantum eius, qui iniuriam passus est, hic vertitur. Nihilominus tamen iuramentum nullam habet vim obligatoriam. Accedit quod si Legislatores solennia ordinant, vel aliud quid disponant, quod non nisi favorem privatorum concernere & sic renunciationem admittere videtur, utilitatem publicam longe lateque patientem respiciant, & eandem promovere saltem securam reddere intendant; quem finem non obtinerent, si iuramenta hunc defectum supplerent; si quilibet Legibus iurato contravenire posset, sub prætextu propriæ tantummodo utilitatis interverfæ. (aa) Expresse etiam 4) permittitur ut iuramentum in casu speciali (bb) defectum insinuationis suppleat, & donationem inter Coniuges alias ad extremum vitæ habitum revocabilem confirmet (cc), quæ dispositiones supervacaneæ fuissent, si iuramento per se vis corroborativa eius, quod secundum LL. invalidum est, inesset. Sed forsitan media via tutius esset incedendum? Sunt dispositiones, ubi ius prutenicum iuramento vim confirmandi actum invalidum adimit, sunt aliæ, quæ contrariam continent sanctionem, sunt denique, quæ e. g. solennia actus ordinant, sed utrum iuramento defectus suppleri queat non disponunt. In Casu ultimo regulæ Juris Canonici locus esset assignandus. Sed refragatur natura rei. Non præsumitur Legislator subditis generale aliquod medium indulgisse, cuius ope vim legum infringere queant, in primis, quum talis huius regulæ explicatio abusus induceret ansamque suppeditaret, sub vinculo religionis decipendi illos, qui non facile falli possunt, si omnia in Legibus e. g. ordinata solennia observentur. Sufficiant, quæ peroravimus, ad demonstrandum, quod si a Juris Canonici dispositionibus abstrahamus, rarissimus sit casus, ubi iuramentum propria obligandi virtute



ex speciali Legis cuiusdam dispositione corrumpere videtur, saltem non difficile esset, evincendi, quod ut plurimum & sic iuramentum non nisi accessorii habeat rationem; Nam actus iure Civili invalidus supponendus est talis, ut secundum Juris Naturalis placita subsistat. Si ergo Leges permittant, ut iuramentum corroboret actum ex politicis civilibusque placitis invalidum, id nobis agi videtur ut iuramento concilietur vis removendi impedimentum obstat quo minus obligatio Juris Naturalis effectum habeat, atque vim forensem.

- (a) *Ad Libr. 4. C. 2. §. 6.* (b) *In Discipl. Moral. §. 288.*
 (c) *J. B. & P. C. 13. §. 14.* (d) *c. 2. C. 22. q. 2. & e. 26. X. de Jurejurando in 6to. J. H. BOEHMER J. E. P. L. 2. T. 24. §. 47.*
 (e) *C. 28. X. de Jurej. c. 2. de Jurej. in 6. c. 2. d. Pactis in 6.*
 (f) *C. 6. X. de Jurej.* (g) *L. all. §. 24.* (h) *In c. 6. X. de Jurejur.*
 (i) *C. 9. X. de arbitr. c. 28. X. d. Jurej.* (k) *C. 2. de Jurej. in 6.*
 (l) *J. H. Boehm. J. E. P. l. all. §. 34. & seqq.*
 (m) *Ad J. in Tit. de Action. §. 6; conf. etiam eiusdem HUBERI Digression. a lectionibus iustin. P. II. L. I. C. 3. N. 4.* (n) *l. 5. C. de LL.*
 (o) *l. 7. §. 16. ff. d. Pace:* (p) *l. 112. §. f. D. de leg. 1.*
 (q) *de Just. LL. Rom. Lib. 2. T. 23.* (r) *De claris Legum interpr. L. 2. C. 14.*
 (s) *Conferantur interim VINNII Qu. sel. Jur. L. I. C. 15. DONELLUS & HILLIGER in Donella enucl. L. 21. C. 13. HUBERI Prælect. ad ff. L. 4. T. 4. §. 10. GROENJWEGEN ad C. L. 2. T. 28. AMSEL. D. d. actibus iurat. §. 18, qui dubitat, utrum Auth. in Boruss. unquam fuerit recepta.* (s) *KREUSCHNERI elegantissima Comment. sub Præf. R. Fr. DE SAHME A. 1750. def. de exigua Juris Canon. auctoritate in foris Regni Boruss.* (u) *L. I. T. 40. A. 8. §. 1 - 3.*
 (x) *P. I. L. I. T. 25. A. 14. §. 5.* (y) *P. II. fol. 93. §. 6.*
 (z) *P. II. T. 14. A. 4. §. 3.* (aa) *LEYS. Sp. 134. M. 2.*
 (bb) *P. II. L. 4. T. 14. A. 2. §. 8.* (cc) *P. II. L. 4. T. 14. A. 4. §. 3.*

§. 10.

Ex diversitate obligationis, quæ in iuramentis supponitur, ipsa pendet illorum, quoad materiale diversitas, ipsaque divisio in promissoria & assertoria. In utroque casu obligatio vel individualiter vel in specie determinatur; ibi obligatio est ad promissum servandum, respiciuntur tempus futurum, facta adhuc edenda. Iudices ratione officii diligenter & cum fide obeundi, olim in quibuslibet causis, (x) hodie ab initio, quum suscipiunt officium iurare oportet.

tet. Rex vel Imperator Romanorum sollemni iuramento ad servan-
 dam capitulationem adstringitur. (b) Electores iuramentum electio-
 nis præstant. (c) Subditi fidem & obsequium Domino iurato pro-
 mittunt, sive iuramentum præstant subjectionis, homagium; *Huf-*
digung oder *Erb-Pflicht*. Dominus directus a Vasallis ratione fide-
 litatis præstandæ iuramentum exigit, quod vocatur fidelitatis, s.
 Vasallagium, & inducit obsequium feudale *Lehns-Gehorsam*, (d)
 Nemo hodie facile ad muneris cuiusdam administrationem prius ad-
 mittitur, quam fidem iurato spondeat; vocatur eiusmodi iuramen-
 tum *der Dienst-Eyd*, iuramentum domesticitatis, quod eo magis
 exigendum est, quo certius est, pessimum nocendi artificem esse
 improbum domesticum & familiarem (e) Plura cumulari possent
 exempla fidei per iurisiurandi religionem sibi conciliatæ, sed sufficit
 recensuisse casus, ubi obligatio individualiter, ubi tantummodo in
 specie determinata occurrit. Maior omnino est securitas eius cui
 iuratur, si obligationi individualiter determinatæ unico actu semel
 & simul statim vel mox post iuramentum præstitum satisfieri queat,
 ac si obligationis implementum, sit illa in specie, sit individualiter
 determinata longam actuum seriem haud raro non nisi cum extremo
 vitæ halitu cessantem requirat. Omne enim securitatis fundamentum
 positum est in conscientia tenera vel fuscitata. Fieri vero potest,
 ut aliquis motivorum ex sacramenti religione oriundorum oblivisca-
 tur, ut conscientia obdormiscat, ut hic vel ille actus pro obligatorio
 haud agnoscat, & sic circa iuramenti præstiti objectum erretur.
 Non tamen, quæ peroravimus, & omnino ad fidem minuendam
 faciunt, tanta sunt, ut simul LEYSERO (f) simpliciter subscri-
 bamus, qui præstare autumat, iuraturanda extra iudicia & in iudiciis
 plane abrogari. Metus pœnarum, quas homo homini dare potest
 maximas, non movet, simulac spes impunitatis arridet, & hæc eo
 maior est, quo frequentiora sunt exempla illorum, qui religionem
 iudicis, nisi eundem plane effugiant, tamen circumveniunt. Pie-
 tatis sensus e contra, nisi ponamus conscientiam cauterio ustam, &
 ne iuramento quidem excitandam, aculeos relinquit, qui & nolentes
 urunt, & non sinunt quiescere, quacunquæ etiam arte eosdem
 extirpare student. Sic & rem non accurata perpensis videtur lance,



si tot sibi fingit periuros, quot e. g. videt studiosos, qui absque pallio incedunt, quamvis inter Leges, in quas iureiurando adiguntur, reperiatur, ne quis in publicum sine pallio procedat. Jurant enim, qui Academiae iniuncti sunt in complexum Legum; si ergo in hoc complexu reperiatur norma quaedam, quae uti in hoc casu observare desit, ratione vestiendi hodie prorsus immutata, nec lex adest, quippe quae consuetudine contraria tolli, cui derogari potest, nec in hanc Legem iurasse censendi sunt Cives academici. Eodem modo & alteri dubio Leyseriano obviandum esse censemus. *Juravimus, ait, quotquot hic sumus Professores, nos vocatos a Cursore in senatum venturos. Sunt nobis nonnunquam Rectores, qui alternis diebus conventus universales indiunt & cogunt, atque in illis negotia frivola, qua privatim expediri praestabat, proponunt, ac deliberationes de illis in aliquot horas extrahunt, nec veniam abesse cupientibus indulgere volunt. Qui ad eiusmodi conventus vocati comparent semper, animadvertunt facile, id eum magno studiosae inventutis dispendio fieri, atque horas institutioni eius destinatas inutiliter consumi. Quid faciendum ergo? — Non peccare se credunt plerique, si in senatum, ubi praesentia ipsorum opus non est, temere vocati non comparent, sed horas erudienda inventutis impendunt.* Et nos in hac haeremus haeresi, ut sub hypothese, si de vocatione temere facta constet, periurium adesse non statuamus. Jurant Professores, ut obligationibus suis satisfacere velint. Adsunt hic plura officia uno velut fasce comprehensa. Inter obligationes in specie determinatas & haec occurrit obligatio, individualiter determinata, ut senatui interesse velint. Si haec cum alia quacunque obligatione collidat, exceptio facienda est, minor intuitu maioris obligationis iam desinit esse obligatio, & sic salva conscientia, absque periurii metu negligi potest; clausula rebus sic stantibus, quae latissimum habet ambitum, obligationibus iuratis etiam cohaeret. In genere vero optime Jo. Paul Kress, (g) observat, quod generalia iuramenta v. c. de officio per omnem vitam rite & fideliter obeundo ab homine homini praestentur, & cum sensu imbecillitatis humanae intelligi debeant. Non negamus tamen, multos circa iurisiurandi religionem occurrere abusum, quo fit, ut vilescant, & iustitiae repagulum esse desinant. Merentur hinc Leyseriana monita, si non in totum, tamen in tantum adplicationem.

- (a) L. 14. C. de Judic. Avth. Hodie; C. eod. MOELLER l. r. Semestr. C. 19.
 (b) SELCHOW. Elem. J. G. §. 404. & 409. (c) Idem §. 401.
 (d) GEORG. LUDW. BOEHMER Pr. J. feud. &c. §. 218.
 (e) GOTTFR. REUTER de triplici domesticitatis, subjectionis & vasallagii fidei, eiusdemque iuramento. (f) Sp. 137. M. 8.
 (g) Ad C. C. C. 1. 107. conf. etiam WERNHER observat P. IV. Obs. 151. p. 397. PUFFENDORFF, J. N. & G. L. 4. C. 2. §. 23.

§. 11.

In iuramentis assertoriis ad veritatem dicendam adest obligatio; objectum ut plurimum se refert ad facta præterita. Optime HELNECCIUS (a) divisiones potissimas recensere videtur, cuius vestigia presso pede sequimur. Si de facto alieno sermo est *iuramentum vocatur testimoniale*; si de proprio, *Litis decisorium*; & quidem si a Iudice defertur super facto ipso vel *suppletorium vel purgatorium*, utrumque vero *necessarium*; si super quantitate obligationis, *iusiurandum in litem*; si super conscientia litigatoris, *iusiurandum malitia vel calumnia*; quod denique pars parti defert *voluntarium*. Iusiurandum calumniæ generale WERNHERUS (b) refert ad iuramenta mixta, quia præstatur de causâ bona fide proposita, & prosequenda. Methodus est varia.

(a) J. N. & G. §. 906.

(b) L. all. p. 456.

§. 12.

Determinatio obligationis, quum eiusdem neglectus ut conditio provocatæ vindictæ divinæ supponitur, in iuramento tam promissorio quam assertorio necessaria est, uterque enim, & qui iurat, & cui iuratur, eandem supponere conditionem, de eodem sentire debent objecto. Hinc formula iuramenti, ex mente eius, qui idem exigit concipienda, ante actum iurandi cum iuratur communitur, ut quæ forsan ad vitandum periurium necessaria sunt monita & mentis explicationes addantur. Sic LEYSER: (a) GUILIELMUM III. Magnæ Britanniæ regem qui A. 1689. Scotis usitatum in coronatione iuramentum præstitit, circa verba, *hæreticos extirpari curabimus* huius clausulæ sensum hunc in modum determinasse refert, ut persecutionis necessitatem suscepisse non crederetur. Si inter litigatores de formula iuramenti non convenit, iudex suo arbitrio con-



ceptionem præscribit. (b) Nunc magis receptum est, in foro & in iudiciis ut iudice præeunte, & formulam concipiente litigator iuret, etiamsi ab adversario iusiurandum delatum sit, (c) Quid vero, si iuraturus & circa formulam iuramenti distincte conceptam reservationes habeat mentales? In hoc casu, is, cui iuratur, turpiter destituitur, quatenus eundem cavillatoria alterius interpretatio latet. Nulla vero, quoad pœnam periurii, ne quidem in foro humano, si pateat, obtinet excusatio. Ob abusum religionis enim ad fallendum alterum dolo malo adhibitæ, & simulata iurandi intentio periurium sistit. *Quacunque arte verborum quis iuret, Deus tamen, qui conscientia testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui iuratur, intelligit. Dupliciter autem reus fit, quia & Dei nomen in vanum assumit, & proximum dolo capit.* (d)

- (a) In Corroll. 3. ad Sp. 134. conf. etiam IO. YANEZ PARLADORII Oper. iurid. quotidian. Def. 127. (b) L. 34. §. 5. ff. de Jurej.
 (c) BARCKLAUS ad l. 5. ff. de Jurej. (d) Can. 9. c. 22. qv. 5.

§. 13

Quatenus denique iuramentum medium fidei sibi conciliandi sistere debeat, deferri debet. Nullo deferente præstitum nullos in foro humano habet effectus. Id quod naturæ rei apprime convenit. Est enim medium securitatis tertio præstandæ per testimonium de tenera vel suscitata conscientia, hinc per testimonium in propria causa. Eiusmodi testimonio per se suspecto, quilibet, quantam lubet, tribuit fidem, omnisque res, alterius de nostris perfectionibus relinquenda est iudicio. Hinc Ulpianus; (a) *si reus iuravit nemine deferente, Prætor id iusiurandum non tuebitur sibi enim iuravit. Alioquin facillimus quisque ad iusiurandum decurrens nemine sibi deferente iusiurandum oneribus actionum se liberabit.* Est quidem Icto sermo, de actore, quem sub rei nomine intelligit. Sed ob universalitatem rationis universalis exinde regula propitio deduci potest iure.

- (a) L. 3. ff. de Jurej.

§. 14.

Jam instituti nostri ratio non permittit, ut omnem de iuramentis materiam exhauriamus. Subsistimus potius in Jureiurando assertorio,

feritorio, & quidem missis illis, quæ iusiurandum testimoniale de facto alieno præstitum concernunt, intuitu litis decisorii, quod vel pars parti defert, & relationi locum facit, vel a iudice alterutri parti iniungitur, ad quæstionem nos accingimus *utrum iuramentum acceptatum pro præstito haberi queat, si mors interveniens præstationem impediat?* STRYCKIUS (a) affirmativam defendit. Rationes eius accuratiori cura subductæ, si easdem in summam contrahamus, huc fere redeunt; pro moribundo militat præsumptio, quod sit salutis æternæ memor. Natura cuiusque præsumtionis in meliorem partem inclinantis, legumque suffragium hanc felicitatis curam probabilem reddunt. Accedit quod omne fere dubium de eadem cesset, si moribundus fuerit homo spectata fidei, quotidie saltem præsumtive mortis meditatione occupatus. Quibus positis, si appropinquante quoad salutem æternam momento decretorio iuramentum non revocetur, quum tamen revocatio eiusdem ad evitandas, saltem mitigandas periurii pœnas necessaria sit, luculentissima exinde oriuntur argumenta, quod salva acceptatum sit iuramentum conscientia, quod moribundus idem, nisi morte præventus, præstitisset, id quod rationes suppeditat urgentissimas mortem habendi loco iurisiurandi. TILESIIUS (b) e contra negativam fundat in Brocardico præsumptioni Stryckianæ contrario; Non omnis moriens est Johannes Baptista. Si dicendum quod res est, Tilesius in moribundos iusto iniquior est. Experientia quidem quotidiana docet, haud paucos omnem pietatis sensum eousque exuisse, ut cum extremo vitæ halitu impurissimam efflare videantur animam. Magna denique illorum cohors est, qui in meditationibus morti dicandis iusto segniores sunt, qui dies numerare negligunt, qui nesciunt, hunc ipsum, quem agimus diem, cum morte dividi. Quis denique pietatis illius purioris excellentiam consequitur, qua Jo. Baptista secundum effatum Salvatoris inter omnes ex coniugali consuetudine natos eminebat? Sed paucissimi sunt homines, quos nulla, si in agone constroantur, vitæ æternæ meditatio occupat & salutis vel fiducia consolatur, vel eiusdem adhuc requirendæ cura sollicitat atque anxie vexat. Hinc lubenti animo Stryckio deductas ex morte hominis & præsumpta salutis memoria concedimus conclusiones, si modo mortem suppona-



mus non subitanam sed quam instare moriturus presentiscit, & probabiliter coniecturatur, quam nullus precedit gravior morbus, qui cogitationum solidiorem nexum interrumpit. Quid vero, si quis acceleranti non praeviso fato absque ulla cedere debet preparatione? Quid si moribundus, qualis eius futurus sit status, mortis violentia impeditus secum deliberare nequit? Quid si humana fragilitas mortis cogitatione & tumultu angustiata & perturbata iuramenti obliviscatur? Non negamus, praesumptiones semel stabilitas, in primis, si legis auctoritate innitantur, haud raro ad casus extendi, qui aliter ac praesumuntur se habent. Non negamus quod thesis STRYCKIANA, mors est loco iuramenti, adplicationem mereatur, si de mortis conditione & statu, in quo iuraturus mortuus est, nihil constet, etiamsi res fundamenti loco posita, in hoc vel illo casu se aliter habeat. Simulac vero in aprico est, quod mortuus salutis aeternae memor non fuerit, sit eius causa, quaecunque velit, mortem loco iuramenti admittere, ex principiis STRYCKIANIS non audemus. Nihilominus tamen fieri potest ut iuramentum salva acceptatum fuerit conscientia, ut mortuus idem actualiter absque omni periurii metu praestitisset, si diutius vixisset. Sic vero duritiam involveret, iuramentum pro praestito non habere, cuius actualis praestatio morte est impedita.

(a) STRYCK. in D. de morte loco Jurisjurandi.

(b) TILESIIUS de usu Brocard. Non omnis moriens est S. Johannis Baptista, in iuramentis Litis decisoriiis.

(c) L. 8. C. qui testam. fac. & Nov. 18. C. 6.

§. 15.

Nostra ex sententia res inde pendet, utrum Leges quaestionem decidant, nec ne. Legibus silentibus, secundum varias causarum figuras, sub quibus varia aequitatis ratio latet, iudex mox iuramentum pro praestito habebit, mox iuramento credulitatis adhuc heredes onerabit, mox alias requiret probationes quae de facto dubio fidem facere queant. (a) Si Leges hanc quaestionem decidunt, omne quidem cessat iudicis arbitrium, Ictorum tamen est, in rationes Legum & Eunomiam inquirere, Quoad Jus Romanum dispositio

stio quæstionis decisioni directe inserviens nobis ignota est. Jus Præ-
 nicum d. A. 1721. heredes iuraturi iuramento credulitatis onerat,
 quam dispositionem Tilesius explicat. CODEX FRIDERICIANUS
 (b) sequentem in modum disponit. Wenn derjenige, dem der Eyd von
 der Partey deferiret, oder von dem Richter auferleget worden, ante
 præstationem verstirbt: so pflegt gestritten zu werden, ob der Eyd pro
 præstato gehalten werden müsse. In diesem Fall wollen wir es folgender
 Gestalt gehalten wissen; 1) wenn derselbe ante acceptationem ver-
 stirbt, ist er nicht pro præstato zu halten. 2) wenn er den Eyd accepti-
 ret, und ohne seine Schuld durch den Tod verhindert wird, sol-
 chen abzuschwören, ist er pro præstato zu halten. Wenn derjenige,
 welchem der Eyd deferiret worden von dem Urtheil appelliret, pen-
 dente appellatione aber verstirbt, so ist derselbe Schuld an der Verzö-
 gerung, daher der Eyd nicht pro præstato gehalten werden kan, wenn
 Er schon declariret, daß er ihn mit gutem Gewissen schwören kan. Es
 wäre denn, daß er eventualiter, und auf den Fall, da die vorigen
 Urtheile confirmiret werden sollte, den Eyd zu acceptiren sich gerichtl.
 erkläret. Requiritur ergo, ut iuramentum iam sit acceptatum; ut
 præstatio impediatur interveniente morte, nulla ipsius iuraturi pro-
 pria culpa concurrente. Hæc dispositio æquitati quam maxime est
 consentanea. Attendamus tantummodo ad Juramenti Naturam;
 Consensus in pœnas divinas conditionatus declarari potest, quocun-
 que modo. Ipsa acceptatio iuramenti nobis consensum in pœnas
 divinas iam involvere videtur. Quid enim interest, formulam iu-
 ramenti adhibitis solennibus quis recitet, an affirmative respondeat
 ad quæstionem, utrum sub conditione, si sciens fallat, in pœnas di-
 vinas consentiat? quippe quam quæstionem delatio iuramenti, vel
 eiusdem exactio involvere videtur. Ex ritu quidem apud nos sicuti
 & alibi recepto hæc antecedanea minusque solennis declaratio in foro
 humano non sufficit, sed formularia & explicita declaratio, prævia de
 vitando periurio admonitione, solennibus ad sensus movendos idon-
 neis stipata accedere debet. (c) Si tamen solennia in iuramentis ad-
 hiberi solita non nisi ad formam spectent accidentalem, nihil obstat,
 quo minus Leges eadem pro superfluis haberi & in nuda iuramenti
 acceptatione adquiesci velint, si ineluctabilis necessitas, fatis nolen-
 tem



tem trahentibus, nulla iuraturi accedente culpa eundem impediat, quo minus solemniter iurare queat. Cui hæc non arrident, quia acceptando iuramentum declaratio magis de futuro quam de præsentaneo consensu fieri videtur, & admonitio de vitando periurio post acceptationem iuramenti adhiberi solita iuramentum futurum supponat, is nobis tamen largietur, urgeatissimam adesse præsumtionem, quod is qui fato functus est, iuramentum, quod semel acceptavit, revera præstitisset, nisi mors impedimento fuisset. Experientia enim docet, casum iuramenti semel acceptati postea declinati esse rarissimum. Nec probabile est, aliquem iuramentum acceptare, quod præstare nequit. Peierandi conatus enim easdem in foro divino habet ac periurium ipsum pœnas; Gentiles id iam agnovere; teste Juvenali

*Spartano cuidam respondit Pythia Vates;
 Haud impunitum quondam fore, quod dubitaret,
 Depositum retinere, & fraudem iure tueri
 Jurando: Querebat enim, quæ Numinis esset
 Mens, & an hoc illi facinus suaderet Apollo.
 Reddidit ergo metu, non moribus & tamen omnem
 Vocem adyti dignam templo veramque probavit.
 Exstinctus tota pariter cum prole domoque
 Et quamvis longa deductis gongte propinquis.
 Has patitur pœnas peccandi sola voluntas.
 Nam scelus inter se tacitum qui cogitat ullum
 Facti crimen habet. (d)*

Accedit quod iuramentum mala fide acceptatum pœnis humanis subiaceat, etiamsi postea eiusdem præstatio declinetur. (e) Posito ergo homines qui eousque malitiæ procedit, ut iuramentum mala fide acceptet, ille & eiusdem præstationem non facile est declinaturus. Accidere quidem potest, ut adhuc ad sanam redeat mentem, ut admonitio de periurio vitando eundem excitet. Sed Leges respiciunt tantummodo ad id, quod plerumque fieri solet. Superstite iuraturō omnino æquum est, ut in sola acceptatione iudices non adquiescant, sed prævia avifatione actualem formulæ recitationem adhibitis omnibus, quæ religionem excitare possunt,

possunt, solennitatibus exigant. Si vero mors impedimento sit, quo minus corporaliter iurari queat, sola possibilitas pœnitentiæ ante actuale iuramenti præstationem agenda nullo est obstaculo, quo minus Leges disponant, ut acceptatio sit loco iurandi. Quæ quum ita non essent, nec iuramentum ipsum probationis vice fungeretur, quia & eundem qui iuravit moxque decessit, si diutius vixisset, ipse forsan iuramenti pœnituisse. Sufficit quod vel pars parti vel iudex uni litigatorum testimonium de conscientia suamet ipse tenera vel suscitata denunciaret & in eodem adquiescere quasi promittat. Hocce testimonium vero iam iam adest, iuramento tantum acceptato. Accedit quod aliter res non facile exitum æquitati consentaneum habere possit. Supponimus scilicet ubique, *a*) ut disponentibus ita Legibus, sicuti in Borussia, in utilitatem litigantium probatio nondum plena accedente iuramento vel plenarios in iure nanciscatur effectus, vel etiam elidatur; ut *β*) lubricum sæpissime sit remedium atque presidium quod in iuramento credulitatis ab hæredibus præstando quæritur. Explicatius ut de mente nostra constet, per varios ire liceat gradus. Silentii peplo involvimus quæ de iuramento purgatorio in criminalibus aliquando præstari solito hic allegari possunt. Subsistimus in causis privatis. Ad iuramentum tam suppletorium quam purgatorium iudices non confugiunt, nisi in causis dubiis. (*f*) Ponamus ergo, iudicem alicui iuramentum suppletorium iniunxisse. Hic semiplena probatione iam munitus est. Iudex victricem quasi promissit sententiam sub conditione iuramenti. Hanc conditionem maxima ex parte, per acceptationem scilicet adimplevit, deficient tantummodo solennia, quæ addere non potuit morte impeditus, hinc nulla ipse propria culpa interveniente. Durissimum esset, si acceptatio iuramenti nullius esset valoris, in primis quum *a*) iuramentum suppletorium ne quidem iniungatur, nisi homini integræ existimationis *der guten Reumuths und Gerüchts* ist, de quo obtinet

Dat fidem vir iniurando, non iniurandum Viro; intuitu cuius præsumtio, quod iuramentum non nisi bona fide acceptaverit, augetur; quum *β*) si in posterum probationes illi, qui nunc causa cadit in promptu sint, permittatur, ut causa ex integro agatur, saltem



tem colligimus id ex Cod. Fried. (g) Eadem est inspectio in iuramento purgatorio, quid? quod ut plurimum magis evidens est æquitas dispositionis, quæ vult ut iuramentum acceptatum sub data hypothese pro præstito habeatur. Ut plurimum enim illi iniungitur, contra quem militant præsumptiones ad condemnandum nondum sufficientes, eum in finem, ut easdem elidat & absolvatur. Jurare paratus est, iuramentum acceptat, & præstare non potest morte impeditus. Aut fallimur, aut adhuc deficit ratio condemnatorix sufficiens, adest vero ratio urgentissima habendi iuramentum pro præstito, in primis, quum condemnatoria adhuc obtineri potest in posterum, si probationes in promptu sunt, quæ evincunt quod iuramentum temere acceptatum neūtiquam bona fide præstari potuisset. arg. Codicis Fridericiani, in l. all.

De iuramento in litem, quod ut plurimum dolum, contumaciam vel culpam alterius supponit, circa quod iudex in antecessum iam sollicitus est, ut ne arrepta occasione in immensum res æstimetur, ulla ne quidem esse potest dubitatio, ut ne salva æquitate pro præstito haberi queat. Minor æquitatis ratio esse videtur in iuramento quod pars parti defert, si morte interveniente pro præstito habeatur. Adesse scilicet, (a) censetur conditionalis conventio, per quam sub conditione iurisiurandi negotium transigitur. Iuramentum deferre & referre ab arbitrio transigentium pendet. Condicio sub qua liti renunciatur ex asse adimplenda videtur, ut ne deferens vel referens qui sub hac conditione vel ab ulteriori persequutione desistere, vel solvere & restituere spondet, ultra consensum suum obligetur. Præstito denique (β) iuramento nihil aliud quæritur, quam utrum iuratum sit; (b) ne quidem propter instrumenta noviter reperta aut periurii pretextu iusiurandum rescindi potest, ob transactionis rationem, quæ huic iuramento cohærere videtur, & quia religioni standum est, sufficitque in peierantem periurii pœna; id quod nimis deferentem gravare videtur, si & in iuramento pro præstito habito adplicationem mereatur, quum hocce confectarium non nisi ex iuramento actualiter præstito in se redundare [voluisse censendus est. Sed res salva est; Si semel per Legis dispositionem sancitum sit, ut morte interveniente

iuramentum acceptatum pro præfrito habeatur, is qui defert iuramentum, simul consentit in omnia ea incommoda, sint vere sint apparenter talia, quæ per legis dispositionem cum iuramento sunt connexa, & sic ultra consensum non obligatur. Nec semper verum est, quod in iuramento præfrito & per consequentiam etiam in iuramento pro præfrito habito omnis periurii probatio & causæ retractatio cessent. Exempla Leges suppeditant (i) & in genere Voetius (k) autumat, quod si doceri evidenter possit, ab initio per dolum malum peieratum esse, tunc doli actione vel exceptione consulendum sit illi, qui ex periurio adversarii doloso damnum passus aut passurus est, quæ doctrina, quamvis Legibus ipsis haud innitatur, cum analogia iuris tamen optime cohæret.

(a) WERNHERUS P. 10. Obs. 458.

(b) P. III, T. 30. §. 28.

(c) Pusillum laxamenti conceditur apud nos post iuramenti delationem, ad deliberandum, utrum iuramentum acceptare an referre expeditius sit. Nolle nec iurare, nec iusiurandum referre, manifestæ esset turpitudinis & confessionis l. 38. ff. de Furej. quid? quod, iuramento iamiam acceptato de novo temporis spatium interiectum est, inter iuramenti acceptionem, eiusque actualem præstationem Cod. fr. l. all. §. 12. Corp. Const. Mylian. Cont. d. A. 1748. 1750. N. 110. §. 126. N. C. C. P. B. Cont. d. A. 1757. N. 45. Apud Romanos delationem acceptatio, & hanc ipsa iuramenti præstatio in continenti excipiebat l. 5. §. 4. ff. de Furej. verbis; *ex eo quod delatum est, nec non l. 6. ff. de Furej.* Rationem huius dispositionis explicat BARCLAIVS in Comment. ad Tit. de Jureiurando; quia contingit aliquando, illum, qui ex tempore non nisi verum iurasset, postea, si cogitandi daretur spatium, aut avaritia, aut suasu aliorum aut aliis illecebris periurium subire. In l. 34. pr. D. de Furej. occurrit quidem casus spatii, inter delationem & acceptionem interjecti, & ad deliberationem dati, sed ex ratione admodum speciali non ubique obvia, ex causa iustissima, quæ exceptionem faciendam esse suadebat. „*Quid tamen si ideo dicat reus se liberatum, quoniam Strichum, quem promiserat, putat necessesse? Non erit tutus per relationem, & ideo ex hac causa putat Marcellus & recte, aut remittendum ei iusiurandum, aut spatium dandum ut certioretur & sic iuret.*“ Eum casum iurisiurandi de morte servi putativa delati, ubi anceps facile periculum periurii subiri potuisset. Nobis omnis in acceptione iuramenti festinatio, tantum abest, ut periurii obicem ponere, ut potius iisdem ansum suppeditare videatur.

(d) Sat.



(d) Sat. 13. L. 5. v. 200. seqq.

(e) GRUBE Proc. Fori Cap. 26. §. 51. Cod. Fr. P. III. T. 30. §. 16.

(f) Sunt qui secundum Jus Romanum iuramentum suppletorium & purgatorium in sensu & significato, quem praxis agnoscit, non admittunt, quamvis usus forensis utriusque iuramento ubique illam auctoritatem conciliavit, ut merito hodie pro iure exploratissimo habeatur. Conf. DONELLI Comment. J. Civil. L. 24. C. 19. FABER Conj. L. 19. C. 1. NOODT ad Libr. 12. Pand. Tit. 2. Argumenta huc fere redeunt, secundum l. 31. D. de *Jurej.* a Judice alterutri litigantium vel actori vel reo iusiurandum defertur in causis dubiis, i. e. si talis ac tanta adfertur probatio, ut quodammodo par fiat actoris & rei causa, & paullo momento modo huc modo illuc inclinet iudicis animus, nescius quid ex omnibus precipue sequi illum oporteat. Hoc modo dubium & ambiguum apud Latinos accipitur; Cœna dubia vocatur non ea in qua parum, sed in qua multum cibi undequaque ita preparati, ut animus Convivæ sit incertus, quid præsertim eligere debeat. Nec inopia probationum, quæ causa cognita secundum l. 3. C. d. R. C. iudicem adigit, ut iurciurando rem decidat, defectum probationis indicat, potius tamen significat tantam utrinque probationum copiam ut noceat ac turbet, ut animus, neque in hanc neque in illam partem habeat inclinationis superpondium. Jura Romana ignorant semiplenam probationem; unum testem, etiam si præclaræ curiæ honore præfulgeat, audiri vetant; l. 9. C. de *testibus* l. 3. C. *theod. de fide testium*; actore plenæ non probante reum absolvunt, l. 4. C. de *edend.* l. 9. C. d. O. & A. Vulgaris denique doctrina de iureiurando suppletorio veterum praxi repugnat, id quod luculentissimo probare videtur exemplo GELLIUS in N. A. L. 14. C. 2. conf. etiam HEINECCII Opusc. var. Syllog. Ex. 16. de lubricitate Iurisiurandi suppletorii. Contrarias tuetur partes ARNOLDUS VINNIUS in *feh. Jur. Qv.* L. 1. C. 44. quem sequitur VOETIUS in *Com. ad Pand.* L. 12. T. 2. §. 28.

(g) P. III. T. 31. §. 12.

(h) l. 1. & l. ult. C. d. R. C.

(i) §. 11. J. de *Actionibus* §. 4. J. d. *Except.*

(k) ad D. L. 12. T. 2. §. 25. & 26.

§. 16.

Unica se nobis adhuc offert inspectio, utrum scilicet Dispositio Codicis Friedericiani obtineat, si iuraturus post acceptationem sed ante iuramenti præstationem mortem obeat voluntariam. Jure Justiniano mori cuiusvis licebat si vivere displiceret, si vitam sibi servitutem & supplicium, mortem solatium & liberta-

bertatem crederet. Hinc **ULPIANUS** (a) *licet etiam servis naturaliter in suum corpus servire.* Mox ergo tædio vitæ vel laboris, ut Tarquinii operarii, mox valetudinis adversæ impatientia, mox pudore æris alieni, mox iactationis causa ut quidam Philosophi, manus sibi intulerunt Romani. Aliis aliæ adhuc mortis voluntariæ erant causæ. Sic adhuc eruditi ignorant, quæ fuerit causa impulsiva, cur virgines Milesiæ referente Plutarcho repente sine ulla evidente causa mortem obire & vitam laqueo finire apud animum constituerant. (b) Hæcce omnia stoam redolent enarrante Cuicio. (c) Vitam Stoici inter *ἀδιάφορα* collocabant, corpus non partem hominis sed tantum instrumentum eius existimantes. Bella res erat, mori sua morte. Hinc **SENECA**; (d) *“non est molestum mori, ubi si domini pertasum est, licet uno gradu ad libertatem transire, contra iniurias vitæ mortis beneficium habeo.”* & alibi (e) *“Quid gemis demens, quid expectas, ut te aut hostis aliquis per exitium gentis tuæ vindicet, aut rex a longinquo potens advolet? Quocunque respexeris ibi malorum finis est. Vides illum præcipitem locum? Illac ad libertatem descenditur. Vides illud mare, illud flumen, illum puteum? Libertas illic in imo sedet. Vides illam arborem, brevem, retorridam, infelicem? pendet inde libertas. Vides ingulum tuum, guttur tuum, cor tuum? Effugia servitutis sunt. Nimis tibi operosos exitus monstramus & multum animi & roboris exigentes, quaris, quod sit ad libertatem iter? qualibet in corpore tuo vena.”* (f) Sunt quidem, qui Legibus Romanis avtocheiriam non probari autumant. (g) Sed nostrarum iam non est partium, ut litem hanc nostram faciamus. Dissidentes etiam satis refutasse videtur **CORN. VAN BYNCKERS-HOECK** (h) *Nos & recta ratio & sacra Scriptura convincunt, nefandam impudentissimorum hominum insaniam esse, scelestissimum Avtocheiriæ vitium in virtutem præpostere vertere. Subscribimus PLATONI, qui teste CICERONE in som. Scip. piis retinendum esse statuit animum in custodia corporis, nec iniussu eius, a quo ille est datus, ex hominum vita migrandum esse, ne munus humanum a Deo assignatum defugisse videantur.”* & sane maior est eius virtus, qui pectore bene præparato quamlibet sortem ridet, & in adversis obdurato animo perstat, quam Heroismus Stoici, qui ad molesta



molesta fugienda constituit abire, unde negant redire quenquam. (i)

(a) L. 9. §. 7. D. de peculio.

(b) GELLIUS L. 15. C. 10. qui simul refert frequentiam facti muliebrem pusillanimitatem superantis, & periculum, ne olim sexus sequior deficeret, commovisse Milesios, ut pudorem inhonesti funeris vitæ contemtu opponerent, & virgines, quæ corporibus suspensis demortuæ forent, nudas cum eodem laqueo, quo essent extinctæ efficerent.

(c) Libr. 26. Obs. C. 40.

(d) In Conf. ad Marciam C. 20.

(e) Libr. 3. d. ira c. 15.

(f) Conf. CH. HEINR. ECKHARDT *Herm. Jur.* §. 138. JUSTI LIPSI *Manud. ad Stoicam Phil.* L. 3. D. 22.

(g) HUBERI *Digress. a lection. iustinian.* P. II. L. I. C. 3.

(h) Obs. L. 4. C. 4.

(i) Nec Autocheiræ Resc. *Serenissimi* d. d. b. 6. Decembr. 1751. in C. C. P. B. patrocinatur, quamvis sepultura inhonesta ex rationibus solidissimis sic abolita.

§. 17.

Quoad quæstionis nostræ decisionem suspensio incedendum est pede ut ne limites iustitiæ temere transiliamus; qui mortem sibi consciscunt ex tædio vitæ, vel valetudinis adversæ intemperantia, ex conscientia criminis, vel pudore aeris alieni, qui ex alia quacunque reprobâ causa huius criminis reos se faciunt, nullo iure sperare possunt, ut iusiurandum, quod superstites acceptaverant, secundum Codicem Friedericianum pro præstito haberi queat, semper enim culpa ipsorum propria obstat, quo minus favor dispositionis supra allegatæ intuitu illorum obtineat, ob verba, ohne seine Schuld durch den Todt; accedit, quod ut plurimum eiusmodi homines religionis sanioribus principiis destituantur & sic parum ponderis habeant, ad fidem conciliandam parum faciant illorum asserta iurata. Cessat etiam præsumptio iuramenti bona fide acceptati, & cum præsumptione corridente totum dispositionis fundamentum



mentum corrui. Optimo iure quadrat in huius commatis mortales illud MARCIANI in l. 3. §. 6. ff. de bonis eorum &c; qui sibi non pepercit, multo minus aliis parcer. Quicumque enim in propria sævit viscera, quascunque tertio inferendas lesiones pro iniustis haud reputabit. Meditationi nostræ vero se adhuc sistunt mortales, qui ex insania, melancholia summa, aut casu improvise fata sibi proferant, id quod in dubio, si casus fati accelerati se offert, & de nulla eius causa apertissime constat, præsumendum est. Erunt quidem, qui tunc mortem voluntariam periurii declinandi ergo accessitam existimaturi sunt. Sed nisi iuraturus sit melancholicus, impossibile est, ut pœnas periurii metuat, & tamen fata accelerando eandem acceleret. Homo sanus, nisi pœnitentiam agendo eandem declinari posse speraret, tamen differri optaret, & sic propitium, quovis modo vitaret. Si casu contingat, ut aliquis sibi vitam abrumpat, mors neutiquam est voluntaria. Ut Dispositionem Codicis Fridericiani obtinere extra omnem dubitationis aleam positum est. Actiones e contra ex delirio & melancholia commissæ imputari quidem per se nequeunt. (a) Dependet tamen aliquando status illorum, qui intellectus vitio eiusmodi laborant, a principio quod actionibus liberis debetur; & eatenus, quatenus causa causæ etiam est causa causati, omnino imputari possunt. Hinc & Avtocheiria ex delirio & melancholia commissæ per se quidem imputari nequit, sed quatenus status delirii & melancholiæ pro consecrario actionum liberarum haberi debet. Non quidem in hac hæresi sumus constituti, ac si a nobismet ipsis & actionibus nostris liberis semper dependeat, usum rationis conservare. Deum potius supplices oramus, ut semper sit mens sana in corpore sano. Hinc etiam absit a nobis ut *Heumannio* subscribamus⁶ den Selbstmord entschuldigen die Deutschen weder mit dem Clima, noch mit der Stoicker thörichtigen Weisheit. Wenn einige vermeinen, daß ein jeder Selbstmord in der Verwirrung der Sinne geschehe: so ist doch noch dabey zu erwägen, daß die Selbstmörder in diese Verwirrung entweder über die um ihrer Missethaten willen auf sie wartende Todesstrafen, oder durch ihren lasterhaften Lebenswandel gerathen. (b) Maxima tamen circumspectione opus est, ut ne favorem iuris illi tribuamus. qui



qui eodem plane indignus est. Qui propria suimetipsum culpa antecedente statum contraxit miserimum, in quo mentis haud compos manus sibi violentas infert, sibimetipsi impedimento est, quo minus iuramentum præstare queat. De hac culpa antecedente vero vel constat vel non. De priori casu non est ut aliquid addamus. In posteriori casu, si fieri potest, Medicorum sit iudicium. Hi si causam delirii vel melancholiam sufficientem eamque physicam ab arbitrio humano nequiquam dependentem adesse testantur, acceptatum iuramentum pro præstito omnino haberi debet; modo nulla adsit ratio conjecturandi, quod tempore acceptati iurisiurandi iam iam in mentis exilio constitutus absque iudicio iuramentum acceptaverit, qui casus tamen vix dabilis est; supponimus potius melancholiam supervenientem. Si Medici haberi nequeunt, vel si, quod ut plurimum continget, ancipites hærent, si illis non liquet, arbitrio iudicis locus erit, utrum iuramentum pro præstito haberi queat, nec ne; In primis vero attendat ad vitam suicidæ antea-ctam, & quæ exindæ derivari queant coniecturas. Semper vero in meliores favori denati inservientes præsumptiones inclinet, quousque adversarius, in cuius præiudicium tendit, si iuramentum pro præstito habeatur, nullas probationes contrarias, vel saltem fortiores suppeditet præsumptiones.

(a) WOLF. Ph. Pr. Univ. P. 1. §. 574. 576. 577.

(b) In libro; cui titulus, *der Geist der deutschen Gesetze*. XIX. 6.

C O R R I G E N D A.

p. 5. l. ult. pro necesse l. necesse.

p. 6. l. 26. pro adoratur l. adorat.

p. 9. §. 6. l. 6. pro; qua mens l. quibus mens.

p. 17. Not. (d) l. 4. pro indulgisse l. indulgisse.

p. 28. §. 13. l. 1. pro conciliandi l. conciliandæ.

N. Littera (a) primam Notam §. 5. designans ponenda fuisset post verba p. 6. in l. II. *videbit*. Hinc omnes litteræ quæ in §. hocce notas designant non respondent Notis quæ iisdem, sed quæ proxime sequentibus litteris signatæ sunt.

www.books2ebooks.eu